SEMPER·IDEM
TODO·POR·ARAGON·Y·PARA·ARAGON

LS.H
P199d

DE HISPANORUM LITERATURA

AUCTORE

MARTINO PANZANO
ARAGONENSI PRESBYTERO.



AUGUSTÆ TAURINORUM

CIƆ IƆ CCLVIII.

In ædibus Zappatæ, & Avondi Archiepiſcopalium, ac Illuſtriſs. Civitatis Impreſſorum.

2991

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. JOSEPHO PIGNATELLI ET GONZAGA

MARCHIONI MORÆ

MARTINUS PANZANO.

QUOD *opuſculum Tibi, Marchio inclyte, ob præclara in me ampliſſimi Patris tui merita, tuamque egregiam voluntatem jure debebatur, tanto illud ego*

Tibi eidem libentius conſecro, quanto videtur genere ipſo futurum eſſe jucundius. Agitur enim de Scriptoribus omnigenis, ſaltem excellentioribus, quotquot vel ab ultima memoria in Hiſpania, quæ Te genuit, a primiſque annis aluit, ad noſtram ætatem uſque floruerunt. Ea Tu quidem es in patriam pietate, Marchio præſtantiſſime, ut nihil, quod ad illius decus pertineat, non Te capiat, ac delectet vehementiſſime. Neque tui generis claritas, quæ Te Regni Proceribus inſerit, nec tot inſignes tituli, majorumque parta virtute gloria, ac ſplendidiſſimi hereditas nominis aliter animatum erga natale ſolum eſſe Te ſinit; niſi forte, qui ſit inter ſuos longe ſpectatiſſimus, is quod ad ſuæ Civitatis dignitatem augendam conducat, ab ſe alienum putet. Agitur de optimarum artium, ingenuarumque

omnium

omnium diſciplinarum cultoribus , quos quanti Tu facias , ex ardentiſſimo illo , quo flagras , literarum ſtudio ſatis exploratum exiſtimo . Nemo enim non diligit eos , a quibus ejus rei , quam ipſe adfectet , ſibi præſidia comparata eſſe videat : nec quidquam homines hominibus magis conciliat , quam ſimilitudo ſtudiorum , atque conjunctio. Itaque , quum Tu , inclyte Marchio , etſi nondum ex ephebis exceſſeris , tamen præter maternam linguam & Latinam , & Italicam , & Gallicam adprime calleas ; ad hæc in hiſtoria tum ſacra , tum profana , unde & ſinceram religionem , & civilem prudentiam Tibi hauriendam putaviſti , admodum verſatus ſis , iiſque rite , Geographiam , & Chronologiam adjunxeris ; poſtremo abſtruſiora quæque aut amœnioris Philoſophiæ , aut illarum artium ,

 quæ

quæ diſciplinæ proprie nominantur, arcana feliciter pervaſeris, nihilque adeo, quod mentem augere doctrina valeat, Tibi negligendum arbitreris; quis dubitet, quin illarum rerum doctores, eoſque Hiſpani nominis ſapientiſſimos noſſe, ac velut in tabella quadam deſcriptos habere tibi futurum ſit longe jucundiſſimum? Atque utinam, Marchio clariſſime, quam Tibi gratum eſſe ſcio munuſculum hoc, tam dignum quoque tuo nomine, ac patrocinio foret! Sed ea me ſpes nimirum tenet futurum, ut, etſi ego multo fortaſſe brevius, & exilius, quam oporteret, rem tantam exſecutus fuerim, eam Tu tamen ſuo momento ſis æſtimaturus. Ceterum, *quum hoc oneris ſuſceperim eo duntaxat conſilio, ut certorum hominum opinio refellatur, qui ſtudia literarum apud Hiſpanos aut nunquam fere vi-*

guiſſe,

guiſſe, aut non multum in præſentia vigere autumant; ſatis meo me defunctum munere putavero, ſi modo ex ſimplici Scriptorum omni ævo celeberrimorum ſerie adpareat, quam parum illi ſint in literaria hiſtoria verſati. Illud vero cum mihi honorificentiſſimum eſt, tum juvat maxime, inclyte Marchio, Hiſpanorum cauſſam tueri, Te præſertim Mæcenate, cujus nomen ſit non apud illos modo, ſed & apud exteras gentes nobiliſſimum, quique & divino quodam ingenio, & aurea ſane indole, & longe ætatem prævertente judicio, & ceteris dotibus, quæ generoſiſſimum quemque adoleſcentem deceant, jam nunc oſtendas quanto futurus olim ſis patriæ decori, & emolumento. Erit autem hoc, quidquid libelli eſt, animi pignus erga Te mei, Marchio præclariſſime. Quo vultu excepturus opuſ-

culum

culum es, pro tuo erga literas, literatoſque amore, proniſſimaque voluntate, eodem quoque auctorem excipe, tuoque præſidio deinceps fovere hominem perge, qui & Tibi addictiſſimus eſt, tuique præcellentis ingenii admirator maximus, & Patri tuo ampliſſimo debere ſe plurimum profeſſus nihil non ejus, & tua cauſſa ſe facturum pollicetur, ut ne cui unquam aut officio, aut ſibi quoquo modo defuiſſe videatur.

EGREGIUM de re Hiſpanorum literaria Commentarium Cl. Viri MARTINI PANZANI ſtudioſe, nec ſine humaniſſimæ voluptatis fructu perlegi; quippe politiſſimus Scriptor acri, limatoque judicio, multaque eruditione ſic eſt in patriis, domeſticiſque laudibus verſatus, ut ſingulare ſuum in bonas artes, ac diſciplinas ſtudium perſpicue declararet, earumdemque dignitati mirifice conſuleret. Valde etenim ad literarum decus, & commendationem pertinere videtur, ut ejus gentis, quæ ingenii præſtantia, magnitudine animi, rerumque pace, ac bello geſtarum gloria perpetuo floruit, præclara etiam, nec unquam interrupta in Rempublicam literariam promerita non eruditiorum tantum hominum admiratione, & plauſu, verum & populari nationum omnium prædicatione, & fama decorentur; quam ad rem cum plurimum ſane momenti ſit Vir cl. brevi, nitidaque ſua ſcriptione allaturus, dignam hanc cenſeo, quæ communi literarum bono, & ornamento in lucem prodeat.

Ex ædibus S. Dalmatii die 5 Martii An. 1758.

HYACINTHUS GERDIL
In Regio Taur. Athenæo Theologiæ Profeſſor.

OPTIMUM de Hiſpanorum literatura Commentarium Viri cl. D. MARTINI PANZANO lubentiſſime legens, nitidum authoris ſtylum, dicendique artem admirabar, ſed magis adhuc patrium ipſius animum ſingulari cum modeſtia, & æquitate conjunctum. Quum enim ſuis de Hiſpanis ageret, qui ſtudiorum laude floruere, ipſorum cogitandi, agendique rationem nobis tacite exhibuit, apud quos ſummarum etiam in literis, æternarumque ardor rerum ſemper fuit, levium contemptus. Eam ſane gentem, tot olim domeſticis quaſſatam bellis, tanto deinde imperio auctam, in tanta diſſitorum, diverſorumque ſociorum regendorum cura, prope nunquam armis poſitis, poſt omnes mundi partes victoriis peragratas, de utriuſque fortuna orbis ſemper cogitantem, fuiſſe adhuc tamen tum ſeverioribus de ſtudiis, tum etiam de literis amœnioribus ſollicitam ſera mirabitur poſteritas. Quamvis vero præclaram ejuſmodi complexionem rerum nemini ignotam eſſe ſatis conſtet, acceptiſſimum tamen, jucundiſſimumque futurum hunc,

ſi

ſi edetur, libellum reor; quum & plurima, quæ notiſſima aliquando nobis ſunt, ſi vere ea amamus tamen, ſique vere colimus, ſumma cum voluptate ſæpe auribus, ſæpe oculis ſubjicere, noſtrumque ſæpe in animum revocare ſoleamus. Ita cenſeo.

Auguſtæ Taurinorum VI. Kal. Martii MDCCLVIII.

F. Castus Innocens Ansaldi
Ord. Prædic., olim in publico Ferrarienſi Athenæo, nunc in Regia Auguſtæ Taur. Acad. S. T. Profeſſ.

EXIMIUM de re literaria Hiſpanorum opuſculum a Dom. MARTINO PANZANO elaboratum non ſine jucundiſſimo voluptatis ſenſu perlegi, & ſtyli elegantiam cum mira eruditione, perfectoque judicio conjunctam ſummopere admiratus ſum. Quum vero præſtantium omni doctrinarum genere virorum notitiam complectatur, utiliſſimum illud futurum eſſe arbitror tum ad vindicandam ab imperitorum calumniis Hiſpanorum ſollertiam in ſcientiis pertractandis, tum ad exercitanda iſtorum ingenia, ut acrius, graviuſque in optimarum artium ſtudia incumbant, & a priſtino ſplendore, dignitateque non recedant. Optandum idcirco, ut quam primum lucem aſpiciat, & literatorum oculis ſubjiciatur, a quibus ſummam erudito auctori laudem, ampliſſimumque honorem tribuendum eſſe non dubito.

FRANCISCUS BERTA
Regii Taurinenſis Athenæi Bibliothecæ Cuſtos.

QUAMVIS OMNIS ADHIBITA SIT diligentia, ut ſpecimen hoc de Hiſpanorum literatura abſque ullo impreſsionis vitio committeretur abſentia tamen Auctoris caſu facta ante hujus libelli editionis finem: inuſitata etiam apud exteros, Hiſpanarum vocum nomenclatura nonnullos procreavit errores, qui tibi Lectori benevolo correcti exhibentur inferius.

Fol.	*Errata.*	*Corrige.*
10	Florum Poetam miſiſſe	*Irriſiſſe*
23	Alfon. à Caſtro Prædicatorum.	*Ordinis Obſervantiæ*
Ibidem.	Ledeſma	*Rodericus de Oſma.*
Ibidem.	Caſtro Palaus.	*Alfonſus à Caſtro*
Ibidem.	Dicaſtillus	*Didacus Caſtillo.*
Ibidem.	Lorinus	*Loret.*
25	Philoſophiæ parte.	*Theologiæ parte*
30	Philoſophiam veterem	intelige *Ethicam*
31	Jacobus Cujacius	*Jacobus Calicius*
40	Petri de Tapia	*Petri Terreri*
Ibidem.	Johanis de Avila	*Joannis de Avilès*
49	Força	*Toſca*

Fol.

Fol.	*Errata*	*Corrige*
56	hactenus de hiſtoricis.	*hact. de Philoſophis.*
60	Foſca.	*Toſca*
Ibidem.	Virum celeberrimum.	*adde March. de Sancta Cruce.*
61	Gregorius Juam.	*Georgius Juan.*
Ibidem.	Anton. de Villoa.	*Antonius de Ulloa.*
63	Michael de Salinas adventum. Chriſti Dñi. ac Divi Jacobi, &	*Adventum Divi Jacobi. Ac Prædicationem.*
65	Rolin.	*Raulin*
71	Emmanuel de Laramen.	*Emmanuel de Laramendi.*
73	Lopes de Veca.	*Lopez de Vega.*
77	Quarcilaſus.	*Garcilaſus.*
80	Gregorius Mayanius.	*Gregorius Mayanſius.*

Cætera ut *ſ.* por *z.* vel *z.* pro *ſ. i.* lat. pro *y.* græc. & alia hujuſmodi ſi invenias patientèr leges, & piè corriges.

DE HISPANIS SCRIPTORIBUS.

POſteaquam ſum ex Hiſpania profectus, nihil mihi fuit antiquius, quam ut de rebus ad optimarum rerum ſtudia pertinentibus cum quibuſcunque poſſem aliarum gentium illuſtribus viris ſermones conferrem, eorumque inter ſe diſputationibus, & congreſſibus intereſſem. Quod quanquam mihi ſemper fuit jucundiſſimum, non parum tamen doloris, ac moleſtiæ attulit, quod ſœpius animadverti non deeſſe homines, qui licet Hiſpanos religione, pietate, bellica fortitudine,

 animi

animi conſtantia, & fide præſtare ultro faterentur; tamen literarum, ſcientiarumque laude reliquis Europæ populis longe inferiores exiſtimarent, prædicarentque apud nos non jacere tantum bonas artes, ac diſciplinas, verum ad eas colendas, augendaſve omnem nobis aditum patriis moribus, inſtitutiſque præcludi.

Quam quidem querimoniam quum non conſtanti aliqua ratione, ſed rerum potius noſtrarum ignoratione niti comperiſſem, in id me patriæ caritas impulit, ut ejus dignitati pro viribus conſulens, præjudicatam illam opinionem, veritati perinde, atque Hiſpani nominis gloriæ adverſam, brevi ſermone depellere ſatagerem. Quod hoc maxime tempore faciendum putavi, quum Auguſtiſſimi Regis judicio, munificentia, auſpiciiſque bonarum artium ſtudia inſignibus plane honoribus, ac præmiis aluntur, inſtaurantur, novaque in dies incrementa accipiunt. Scilicet Princeps invictiſſimus, quem ſingulari Dei Optimi Maximi munere Hiſpania ductorem,

ctorem, ac parentem, publicæque felicitatis auctorem accepit, nihil excellenti magnitudine animi ſui dignius, nihil populorum ſaluti accommodatius exiſtimavit earum omnium diſciplinarum amplificatione, quibus homines ad multarum, utiliſſimarumque rerum ſcientiam, atque adeo ad ſapientiam, & prudentiam, ad æquitatem, ad omnem denique humanitatem informantur. Hinc porro Academiæ toto jam orbe celeberrimæ, quæ a primo ortu adultam maturitatem adeptæ videntur; hinc viri ingenio, & eruditione præſtantes juſſu, largitateque Principis peregrinationes inſtituerunt, ex quibus abundantes fructus, & conquiſita undique doctrinarum adjumenta in patriam referrent. Obverſantur quidem omnium oculis, velut clariſſima in luce poſita, immortalia hæc Regis ſapientiæ monumenta, omniumque gentium laudibus, ac linguis celebrantur. Verum adhuc manet præjudicata illa, planeque inſita opinio, proximis ſuperiori-

bus ætatibus, quibus Italia, Gallia, Germania, Britannia tot tantoſque progreſſus in literis habuere, ſolam Hiſpaniam ſitu, ac barbarie quaſi obſitam perſtitiſſe. Sed quandoquidem animadverti ejuſmodi opinionem primum ex eo natam, quod multi dictitant, ſeverioribus quibuſdam legibus, maxime vero Sanctiſſimo Quæſitorum Fidei Concilio, libertatem impediri omni literarum generi, Criticis, Philoſophis, Poëtis, Oratoribus perneceſſariam; exinde autem confirmari, quod non adeo multi ex Hiſpanis in alias regiones libri importentur, videaturque fama de Scriptoribus noſtris pridem obmutuiſſe, operæ pretium me facturum ſpero, ſi paucis demonſtravero primum literarum omnium, ac diſciplinarum cultum Hiſpanorum ingenio, & indoli quaſi natura cohærentem ab remotiſſima uſque memoria in Hiſpano ſolo floruiſſe, neque unquam interruptum ad hæc poſtrema tempora perpetuo viguiſſe. Deinde nihil a vero disjunctius,

quam

quam quod præjudicata, quam dixi, opinio multis perſuaſit, patriis noſtris legibus libertatem coërceri, quam literæ deſiderant; ſed effrenem duntaxat licentiam amputari, non minus veris bonarum artium, ac diſciplinarum progreſſibus, & ornamentis, quam religioni, & morum ſanctitati inimicam, & repugnantem. Demum certam rationem patefaciam, quamobrem gentis noſtræ minus, quam reliquarum nationum literaria monumenta vulgari fama celebrentur. Licet vero non accuratum hoc loco texere indicem animus eſt Scriptorum Hiſpanorum (neque enim Bibliothecam inſtituendam ſuſcipio); tamen partim percenſendis illuſtriorum quorundam Scriptorum nominibus, partim delibandis præcipuis eorundem commentariis, egregiiſve in rempublicam literariam meritis, neceſſe mihi erit in ea prima parte paullo diutius immorari.

Hiſpa-

HIſpanam ſane gentem vel a vetuſtiſſimis temporibus literarum gloria floruiſſe auctor eſt locupletiſſimus Strabo Geog. lib. 3. qui de Turdetanis loquens ait: *hi ſapientia putantur excellere, & literarum ſtudiis utuntur, & memorandæ vetuſtatis volumina habent, poëmata, leges quoque verſibus conſcriptas e ſex annorum millibus, ut ajunt; cæteri quoque Hiſpani uſum habent literarum*. Quo loco tametſi exaggeratum eſt, quod de legum Hiſpanarum antiquitate Strabo ex vulgari fama retulit; tamen vel ipſa ejus vetuſtatis opinio argumento eſt a remotiſſima hominum memoria literarum ſtudia non ſine multa laude apud Hiſpanos viguiſſe. Sed, ut eam ætatem prætereamus, cujus monumenta cæca jam premit oblivio, illud certe affirmare poſſumus, quo tempore Romani literis clarere cœperunt, ſolos ex occiduis populis Hiſpanos in ejus gloriæ partem veniſſe. Fas eſt memorare Porcium Latronem, a quo, ut refert Quintilianus l. 10., judicio Senecæ tot egre-

gii

gii declamatores, qui fœcundum ingeniis Auguſti ſeculum illuſtrarunt, facile ſuperati ſunt: Julium Hyginum Bibliothecæ ejuſdem Auguſti præfectum, Ovidii familiarem: Turanium Graculam ſcriptis olim clarum, quem laudat Plinius lib. 3.: Sextilium Henam, vel Heminam, qui poëticam facultatem coluit: Moderatum Columellam ruſticarum rerum ſcriptorem diligentiſſimum, poëtamque ſane haud inficetum: Pomponium Melam, qui tres de ſitu orbis perelegantes libros perſcripſit, facemque Plinio, Solino, aliiſque prætulit: ſcilicet viri docti de præſtantiſſimo Geographo ita exiſtimarunt, ut quum Straboni eruditionem tribuerent, Plinio diligentiam, artem Ptolomæo, huic uni omnia conceſſerint.

Quin & præclara hæc eſt laus Hiſpanorum, labentes, aut in præceps quaſi ruentes literas apud Romanos ſuſtinuiſſe; etenim Romanæ eloquentiæ decus fere jam obliteratum revocaſſe viſus eſt M.

Fabius

Fabius Quintilianus ſummis viris dictus Orator Maximus, & gloria Romanæ Togæ, qui verſatus in foro maxima virtutis, & ingenii commendatione primus publica auctoritate in publico gymnaſio Rhetoricas inſtitutiones tradidit ſumma quidem cum laude; eoque munere functus eſt per annos viginti; quibus elapſis, quum in honeſtiſſimo otio ad ſcribendum animum appuliſſet, libros præſertim edidit de oratoria inſtitutione, quibus nihil eo genere abſolutius fingi poteſt. Huic autem nihil defuit vel ad ſummam doctrinam, vel ad ſingularem eloquentiam. Quo uno facem præferente, etiamſi Cicero, Romanæ parens eloquentiæ, deeſſet, perfectam conſequeremur ſcientiam recte dicendi.

Philoſophiam L. Annæus Seneca ſic tractavit, ut non modo Stoicorum acumen, ſubtilitatemque in diſſerendo ſit adſecutus, verum acri, & vehementi dicendi genere, ac velut micantibus (ita dicam) ideis ad virtutis amorem, ad conſtantiam, & fortitudi-

nem,

nem, ad humanarum rerum diſpicientiam unus omnium maxime accendere, ac quoſdam in animis veluti aculeos relinquere videatur. Hic de rebus etiam naturalibus docte ſcripſit, adeout quæ a ſummis Phyſicis nuper ſunt de Cometis conſtituta, acri ipſe intelligentia, vulgaribus erroribus contemtis, præoccupaverit. Floruit eodem quoque tempore tragœdiarum ſcriptor Seneca (aliusne ſit, an idem ille Philoſophus præſtantiſſimus, de quo hactenus dictum eſt, non ſatis conſtat inter eruditos: certe ex eadem Annæa gente fuit): is autem unus apud Latinos, quorum opera ſuperfuerint, Euripidem, atque Æſchylum Romana, ita dixerim, Civitate donavit. Huic adjungendus ex eadem familia M. Annæus Lucanus, qui, auctore Quintiliano, *ardens, & concitatus, ſententiiſque clariſſimus excellens, in concionibus admirandus, atque excultus adeo, ut videatur ſatis exprimere ſingularem illam elegantiam, & majeſtatem Virgilii*. Martialem commendat

Plinius, quem dicit hominem ingenioſum, acutum, & qui plurimum *ſcribendo & ſalis haberet, & fellis, nec candoris minus*; quicum merito nominandi Canius Rufus Gaditanus, Decianus Emeritenſis, Licianus, Voconius Victor, ut Silium Italicum prætercam, quem Italiæ vindicare nonnulli ſtudent. Sed Hiſpanorum in re literaria laudem mirum in modum amplificarunt Trajanus, & Adrianus Imperatores, uterque de terrarum orbe optime meriti, uterque literarum, & literatorum amantiſſimi. Quin & Adrianus literas impenſe coluit; pro Italicenſibus enim municipiis ſuis frequenti Senatu, gravi, copioſaque oratione eum cauſſam egiſſe refert Gellius; Spartianus autem teſtatur ſalſiſſimis verſibus Florum Poëtam miſiſſe: ad hæc manſuetioribus hiſce literis ille quidem ſeveriora ſtudia Philoſophiæ, & Matheſeos adjunxit, quibus adeo delectabatur, ut in ejus Aulam, tanquam in Lyceum, vel Academiam, præſtantiſſimi Philoſophi diſputaturi conveni-

venirent. Hoc imperante, hiſtoriam illuſtravit L. Annæus Florus ex eadem, ut creditum eſt, gente, unde orti erant Senecæ; quem brevem, & comptum Hiſtoricum appellat Julius Celſus, multique acerrimi judicii viri in deliciis habuerunt. Illorum vero Principum, quos paullo ante commemoravi, veſtigiis inſtitit Theodoſius Magnus, qui originem a Trajano duxiſſe perhibetur. Hujus videlicet eximia virtute Hiſpania magnificam hanc laudem a Pacato claro viro retulit: *terris omnibus terra felicior, hæc duriſſimos milites, hæc experientiſſimos Duces; hæc facundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos Vates parit, hæc Judicum mater, hæc Principum eſt.*

Jam vero, poſteaquam cœleſtis religio per Hiſpanias mature propagata noſtrorum animos ad divinarum rerum ſtudia tranſtulit, quam multi Antiſtites, Doctoreſque ſapientia juxta, & vitæ ſanctimonia floruerunt, quos inter ſplendidiſſima Eccleſiæ lumina jure ac merito recenſendos putes?

 Dama-

Damaſum dico Pontificem, quem nuper vir doctiſſimus, magna cum ſui nominis, tum totius gentis noſtræ laude, Hiſpaniæ luculentiſſime adſeruit; Hoſium Cordubæ Epiſcopum, magnum ſcilicet illum, & quaſi germanum Conciliorum patrem, quem Conſtantinus, cui erat in deliciis, cum literis ſuis ad Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, & Arium miſit, ut exortam inter eos *de æqualitate filii Dei cum Patre* diſcordiam, priuſquam altiores ageret radices, ſedaret, comprimeretque. Quam quidem legationem, aliaſque id genus non paucas tanta ſua cum gloria, tantoque cum populorum fructu abſolvit, ut a Sancto Athanaſio vir graviſſimus, doctiſſimus, atque omnium pater Epiſcoporum dicatur. Inter ejus opera, quæ ad Chriſtianam Religionem propius pertinent, epiſtolam habemus pulchro, ac diſerto comptam eloquio, quam ad Sororem perſcripſit ſuam *de laude Virginitatis*. Aliud præterea extat opus egregio quidem ſenſu, & ingenio elaboratum

de

de interpretatione Veſtium Sacerdotalium, quæ ſunt in veteri Teſtamento. Verum dies me potius, quam oratio deficeret, ſi innumera Cordubenſis hujus Epiſcopi merita vellem recenſere. Ut ſuus aliis etiam relinquatur locus, ad Paulum Oroſium Tarraconenſem veniamus, qui Hieronymo, & Auguſtino fuit acceptiſſimus. Hic hiſtoria illuſtranda mirifice religionis cauſſam juvit ſeptem conſcriptis libris contra gentes, quibus Græcorum, Romanorumque res geſtas eo potiſſimum texuit conſilio, ut Ethnicorum calumnias, quæ Chriſtianis calamitates publicas imputabant, refelleret. Hic etiam opere apologetico *de arbitrii libertate* Pelagianam hæreſim profligavit. Quid Dextrum, atque Idacium referam Hiſtoricos? Quid Prudentium? Quid Juvencum inſigni, maximeque illuſtri natum familia, quem Divus Hieronymus ut elegantem, & eruditum Poëtam commendat? Quid Avienum, Matronianum, Dracontium Poëtas quoque celeberrimos?

mos? Quid Pacianum Epiſcopum, qui profligatis Novatianis immortalem gloriam Barcinonenſi Eccleſiæ comparavit? Apringium, Juſtum Urgelitanum, alioſque non paucos, ne longus ſim nimis, prætereo. Verum reticenda nequaquam ſunt fulgentiſſima illa Hiſpaniæ lumina, Leander ſcilicet, & Iſidorus Hiſpalenſes, Fulgentius Carthaginis Eccleſiarum Antiſtes, fratres, a quibus tam verbis, quam ſcriptis Gothica fuit, & Hiſpana gens e cimmeriis Arianiſmi tenebris ad dias veræ fidei oras reducta.

Miſeratione digna ea procul dubio videntur tempora, quibus Arabes Hiſpaniam crudeliſſime invaſerunt; hiſce tamen præſtantiſſimi quoque floruere viri, quos inter merito recenſendus Beatus Presbyter una cum Uxamenſi Epiſcopo Heterio, qui duobus celeberrimis, doctiſſimiſque in Elipandum Epiſcopum Toletanum libris *de adoptione Chriſti Filii Dei* immortalem ſibi famam, ac gloriam compararunt;

Iſi-

Iſidorus Pacenſis, Eulogius martyr, de quo hæc habet Alvarus Cordubenſis: *erat vir ille in omnibus profeſſionibus principaliter, & non medie decoratus, cunctis ex æquo deſerviens, & quum præiret omnes ſcientia, humilior certe etiam infimis videbatur . . . . Quæ illi non patuere volumina? Quæ potuerunt eum latere ingenia Catholicorum, Philoſophorum, Hæreticorum, nec non & Gentilium?* Bonitum Epiſcopum Toletanum, Prudentium Trecenſem, alioſque non paucos omitto, quorum eo major laus, quod nullis Chriſtianarum ſcholarum, nullis, aut valde paucis exemplorum a viris excellentibus venientium ſubſidiis adjuti, & ad colenda ſtudia invitati, vere uti flores in arido, & horrenti ſpinarum campo germinare viſi ſunt. Nec mediocrem profecto laudem conſecuti ſunt celeberrimi illi, qui paullo poſt floruerunt, Divinorum librorum veteris Teſtamenti enarratores, quorum teſtimoniis innituntur ſæpe recentiores Chriſtiani interpretes ad eruendos ſacrarum

lite-

literarum ſenſus, enodandam Bibliorum phraſim; illuſtrandas Hebraicæ gentis antiquitates, nec ſemel etiam ad Chriſtianam ex eorum fumo lucem proferendam, & adverſus ipſos confirmandam. Hos inter eminere videmus Moſen Maimonidem Cordubæ natum, Abrahamum Aben-Ezra Toletanum, quem Arias Montanus Philoſophum, ac Medicum eruditiſſimum, Sacrorumque Librorum ſua lingua Commentatorem illuſtrem appellat. Davidem, & Moſen fratres Kimkios, quorum primus Auctor eſt celebratiſſimi, & utiliſſimi *Michlol* operis, ſive *Theſauri linguæ ſanctæ*. Alter vero in grammaticis non contemnendam, nec Davidis fratre indignam auctoritatem apud eruditos ſortitus eſt. Moſen Gerundenſem complurium operum clarum Scriptorem, Jonam Cordubenſem Grammaticum perfectiſſimum, Judam Levitam libri Cozri auctorem, alioſque tantum non infinitos.

Poſtea-

Poſteaquam vero Barbaris Europam occupantibus atra ſub caligine oppreſſa literarum ſtudia videbantur, primas veluti ſcintillas Hiſpania excitavit, quibus e diuturnis tenebris in lucem revocarentur; nam quidquid apud Arabes vigebat adhuc eruditionis, & doctrinæ noſtri avide exceperunt; indeque Dialecticæ, Arithmeticæ, Mathematicæ, Philoſophiæ, naturalis hiſtoriæ elementa ex Hiſpano ſolo in reliquas Europæ partes commigrarunt. Averrois præſertim opera effectum eſt, ut celebrari cœperint Ariſtotelis libri, qui Rhetoricæ, Poëticæ, Dialecticæ fontes uberrimi habentur. Cujus etiam philoſophi naturalis hiſtoria cum veterum, tum recentiorum, atque in primis clariſſimi Domini De-Buffon Pariſienſis Academici judicio & admirabilem rerum copiam continet, & abſolutiſſimum exemplar ejus pertractandæ præbet. Averroes ipſe cum alia multa, tum celebrem illam *continuationis* legem extulit, in qua excolenda

Leibnitius, aliique recentiores non parum ſibi plaudunt.

Sterileſcere nimis quidem viſus eſt Hiſpaniæ campus, quum inter armorum ſtrepitum, ac belli gerendi neceſſitatem ab omni ſtudiorum genere avocabantur Hiſpani. Profligatis vero deinde hoſtibus, eaque animis reſtituta tranquillitate, quam literæ expoſtulant, non pauci floruere in unaquaque facultate excellentes doctrina viri. Primas tenent Rodericus Præſul Toletanus, Lucas Tudenſis, Dominicus Prædicatorum author, Raymundus Pennafortius, Raymundus alter Martini, Bernardus Compoſtellanus, Antonius Paduanus, Alphonſus Rex, cognomento Sapiens. Nec minorem conſecuti ſunt famam, qui jam laudatos ſubſecuti ſunt viri doctiſſimi. Hos inter merito recenſendi Alphonſus Hiſpalenſis Præſul, Franciſcus Ximenius, Alvarus Pelagius, Johannes Segobienſis, Paulus, & Alphonſus Burgenſes Epiſcopi, Johannes

hannes a Turrecremata. In longum nimis abiret oratio mea, ſi eos vellem recenſere omnes, qui hac ætate excelluerunt viri omni doctrinarum genere præſtantiſſimi. Celeberrimas tantum addere ſatis erit Academias, Salmantinam ſcilicet, Complutenſem, Conimbricenſem, & Valentinam, quæ nominis ſui gloria, & fama cunctas impleverunt orbis terrarum partes. Quoniam vero earum hiſtoriam minime texendam hoc loco ſucipimus (neque enim tanto ferendo oneri vires noſtræ ſufficerent), nonnullos ad rem noſtram demonſtrandam ex tota Hiſpania viros per ſingula doctrinarum genera excellentes recenſebimus, qui fidem noſtram liberent.

Primum ſacris literis intelligendis, atque interpretandis nemo ignorat quantum Hebraicæ, Chaldaicæ, aliarumque linguarum notitia, criticeſque ſtudium præſidii, ac momenti adferat. Hanc vero partem egregie ornavit omnium conſenſu Fran-

ciſcus Ximenius Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus, qui incredibili ingenii, ac animi magnitudine præditus, celeberrima illa Biblia Complutenſia, incredibili ſumptu, ac magnificentia, edenda curavit, inſignemque Compluti Academiam, quæ Theologica ſtudia potiſſimum coleret, excitavit. Quoniam vero de magni hujus viri inſtitutis mentionem injecimus, admonet nos eorum recordatio, ut ei parem virum adjungamus Cardinalem Ægidium Albornotium Toletanum Archiepiſcopum, qui in doctiſſima Italiæ urbe Bononia pro Hiſpanis Collegium extruxit, e quo clariſſimi ſemper viri prodiere: tum illis animi magnitudine non inferiorem Johannem Baptiſtam Vives, qui, quum Urbanus VIII. moliretur animo Collegium illud, ſeu Seminarium de propaganda fide, in quo ex omnibus fere populis futuri apud exteras gentes Chriſtianæ veritatis præcones educarentur, & literis, doctriniſque ad tantum munus ne-

ceſſa-

ceſſariis maxima cura imbuerentur, omnes poſſeſ-ſiones ſuas unacum domo, quam elegantiſſimam habebat, Pontifici Maximo ejus rei cauſſa obtulit, ut proinde tanti operis initium Hiſpano nomini deberi celeberrimi Scriptores teſtatum relinquere non dubitaverint.

In ea Theologiæ pertractandæ methodo, quæ adſtricta quadam ratione, & ad Dialecticæ regulas exacta divina dogmata exponit, quid ſit congruens, quid repugnans rite aperit, primas tenent Alvarus Pelagius, Johannes Cardinalis a Turrecremata, Græcorum præſertim erroribus in Florentino Concilio profligandis clarus; tres cognomento Medinæ ſcriptores illuſtres, Johannes Theologus Complutenſis, quem doctorem egregium Sotus nominat, Michaël ex Franciſcana familia, Bartholomæus ex Dominicana; Bartholomæus Caſa gravisſimis cum Sepulveda diſputationibus celeberrimus. Soto uterque, Dominicus, & Petrus Vi-

ctoria,

ctoria, Melchior Canus, cujus elegantiſſimum, numeriſque omnibus abſolutum opus de locis Theologicis nova quadam luce, ac decore ſacram diſciplinam cumulavit. Eodem loco cenſendi Alvarus, & Lemos, qui diſputationum, quæ de divinis auxiliis habitæ Romæ fuerant coram Pontificibus Maximis Clemente VIII., & Paulo V., & quarum ille pars magna fuit, hiſtoriam conſcripſit. Atque veteres quidem iſti, tametſi Scholaſtici vulgo audiunt, minime propterea dogmaticam tradendæ Theologiæ rationem neglexerunt, ſed utramque admirabili quodam rerum nexu ita colligarunt, ut & rationibus auctoritatem illuſtrarent, & auctoritate rationem confirmarent. Sane quiſquis e Suareſio doctiſſimo, ac plane abſoluto Theologo loca Scripturarum, & veterum Patrum, quæ ab eo duntaxat citantur integra referret, Græce, Latineque deſcriberet, is Theologicum curſum dogmaticum ederet, qualem

Peta-

Petavius, Thomaſſinus, aliique deinceps extulerunt. Eodem loco cenſendi plane Vaſqueſius, Valentia, & qui Polemicæ pertractandæ viam, ac rationem præmonſtravit Alphonſus a Caſtro, Ordinis Prædicatorum inſigne decus, & ornamentum.

In exponendis autem ſacrarum literarum myſteriis, atque difficultatibus enodandis diligentem operam navarunt Rodericus Ledeſma, Caſtro-palaus, Paulus Burgenſis, Dicaſtillus, Alphonſus Toſtatus Abulenſis, Thomas Maluenda Didacus Hiſpalenſis Archiepiſcopus, Pererius, Lorinus, Salmeron, Maldonatus. In ſacra, & profana eruditione cum linguarum, & critices ſtudio conjuncta, in vertendis, & explanandis veterum ſive Ethnicorum, ſive Chriſtianorum monumentis emicuerunt Benedictus Arias Montanus, Ludovicus Vives, Antonius Nebriſſenſis, Nonius Pintianus illuſtri Guzmanorum gente oriundus, e cujus ludo prodiere græce, latineque docti homines non

pauci,

pauci, Leo Caſtrus, Cardinalis Mendocius, Chriſtophorus Sulla, Hieronymus Surita, Johannes, & Franciſcus Vergara fratres, aliique.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam doctiſſime ſcripſit Alphonſus Sanchez, Thomas De-Herrera, Alvarus Gonzalez, Davila, Alphonſus Ciacconius, quem Gregorius XIII. Pontifex Maximus, ob egregia ejus in Theologicam facultatem merita, inter eos adnumerari voluit, qui ſupplicibus pœnitentiam vice Apoſtolica imponerent. Ejus hiſtoriam de vita, geſtiſque Pontificum Romanorum, a D. Petro uſque ad Clementem VIII., Cardinaliumque etiam cum eorum inſignibus, quam proſecutus eſt Franciſcus de Cabrera Morales, qui jam Græcas, Latinaſque Salmanticæ docuerat literas. Nec minorem hac in re laudem promeruere jam laudatus Benedictus Arias Montanus, qui Judaicas præſcripſit antiquitates, Franciſcus de Padilla, Gabriel Laſo de la Vega, Hieronymus Roman, qui Ec-

cle-

cleſiaſticam Hiſpaniæ Hiſtoriam, Hieronymus de Mendieta, qui Indianam, aliique non pauci, qui peculiarium Eccleſiarum hiſtorias conſcripſerunt.

In diſciplina morum pertractanda multam quoque ſunt laudem conſecuti Martinus ab Aſpicueta, Navarrus eximiæ ſanctitatis, & doctrinæ vir, ac non juſtæ modo, ſed & ſcrupuloſæ conſcientiæ, qui ab antagoniſta quodam ſuo eruditione inſignis, ſemperque in ſcholis verſatus, & omnes ſui temporis Canoniſtas excedere dicitur. Sanctius etiam cum Johanne Medina, Toleto, & Lugo Cardinalibus, Corduba Roderico, Ledeſma, Dicaſtillo, Azorio, Caſtropalao, aliiſque bene multis de hac Philoſophiæ parte non mediocriter meritis.

Eam porro Theologiæ partem, quæ Aſcetica nominatur, nemo ſane commendavit magis Ludovico Granatenſi, Johanne Avila, Franciſco Aria, Rodriguesio, aliiſque bene multis, quos longum eſſet enumerare. Qua de re præſtat audire judi-

cium ampliſſimi viri Cardinalis Bentivolii epiſt. ad Tobiam Mathei Anglum, in qua hæc habet: *ſono valent' uomini gli Spagnuoli nelle compoſizioni ſpirituali, e non ſo come la lingua ancora porta con ſe maggior peſo con la ſua gravità per imprimere le coſe.*

In Canonum ſcientia quis non facile principem agnoſcat Sanctum Raymundum de Pennaforte, cujus diligenti opera, & ſtudio Gregorii IX. juſſu Decretales collectæ, atque in certum ordinem redactæ prodierunt? De jure porro & Canonico, & Civili, deque omni politiorum literarum, & eruditionis genere quam inſigniter eſt meritus Antonius Auguſtinus, cujus domum aſſidue diſcendi gratia frequentabant, quemque non tam ut Magiſtrum, quam velut oraculum ſuſcipiebant Octavius Panagathus, Gabriel Faërnus, Onuphrius Panvinius, Pyrrus Ligorius, Paulus Manutius, Latinus Latinius, Fulvius Urſinus; qui, ut olim Quintus Mutius Scævola, ſic a viris ſui ævi pru-

den-

dentiſſimis Juriſperitorum eloquentiſſimus, & eloquentium juriſperitiſsimus eſt nominatus. Jura præterea mirifice illuſtrarunt Didacus Covarruvias, Gregorius Lopezius, Franciſcus Sarmientus, Emmanuel Coſta dictus Hiſpaniæ Papinianus, Petrus Barboſa, Ferdinandus Mendoza, & quis omnes recenſeat?

Excellentibus hiſce juris anteceſſoribus non immerito adſcribendi, qui politicam prudentiam, ſeu regendarum Civitatum ſcientiam coluerunt. Hos inter Gratianum eminuiſſe, Petrum Bellugam, alioſque ſatis magno numero, omnibus eſt compertiſſimum.

Sed & hic obiter animadvertendum duco, quæ a celeberrimis tota Europa viris de jure naturali, ac gentium, velut a Puffendorfio, & Grotio, qui vulgo habentur ejus facultatis principes, edita ſunt, multo ante fuiſſe a noſtris non minus accurata, quam docta, & ſubtili ratione per-

tractata, maxime autem a Franciſco Victoria; Covarruvia, Vaſqueſio, Dominico Soto, Ludovico Molina, aliiſque præſtantibus viris, a quibus recentiores iſtos multa eſſe mutuatos facile cognoſcet quiſquis eorum opera inter ſe contulerit. Quin etiam nonnullos frequenter laudat modeſtiſſimus perinde, ac doctiſſimus Grotius.

In medendi arte, rerumque naturalium ſcientia præſtantiſſimi ſemper habiti ſunt Franciſcus Valeſius, Chriſtophorus a Vega, Nicolaus Monardus, Ludovicus Mercatus, Johannes Fragoſus Toletanus, Andreas Laguna Segobienſis permultorum admodum operum author eximius. Inter præſtantiſſima autem, quæ typis mandavit, recenſenda in primis eſt *Anatomica methodus, tum Galeni omnium operum, exceptis iis, quæ in Hippocratem compoſuit. Epitome Galeni vitæ ad Johannem Aguileram Pauli III. Pontificis Max. Archiatrum. De ponderibus, ac menſuris libellus. Epitome omnium rerum, & ſententiarum,*

quæ

quæ notatu dignæ in commentariis Galeni in Hippocratem extant. De contradictionibus, quæ apud Galenum ſunt, tractatus. Adnotationes in Galeni verſiones, quæ ſua ætate prodierunt. Methodus cognoſcendi, extirpandique naſcentes in veſſicæ collo carunculas. Adnotationes in Dioſcoridis factam a Johanne Ruellio interpretationem. Epiſtola apologetica ad Johannem Cornarium. Victus ratio Scholaſticis pauperibus paratu facilis, & ſalubris, aliaque non pauca jam laudatis non minus utilia, atque præſtantia.

Profecta vero, ut ſuperius dixi, a noſtris, atque in alias inde regiones propagata Mathematicarum rerum ſtudia, retinere noſtri atque colere nunquam prorſus deſtiterunt. Commendandi ſane in Arithmetica Hieronymus Munotius, Johannes Perezius, Moja, Johannes Martinez Siliceus. In Geometria Didacus Perezius, Meſa, Jacobus Falco, Andreas Garzias de Ceſpedes, Petrus Nonnius. In Muſica Franciſcus Salinas cæcus. In Aſtronomia, eidemque ſubjectis Geographia, & Nautica

An-

Antonius Naxera, Petrus Ciruellus, Petrus Nonnius jam laudatus, cujus eximium inventum rei Nauticæ opportuniſſimum frequenti adhuc Nautarum admiratione, & uſu celebratur. Tum Petrus Medina, Bartholomæus Antiſtius, Rodericus Zamoranus. Bellicæ artis tormentariæ, equeſtriſque præcepta tradidere Didacus Gracian de Alderete, Didacus de Salazar, Ferdinandus Ciacconius, Franciſcus Roman, Ludovicus Gutierrez de la Vega, aliique.

Philoſophiam cum veterem, tum novam noſtri diligenter excoluerunt. Et quidem vetus illa pleriſque noſtrorum temporum delicatioribus hominibus ſpinoſior fere, ac bonæ frugis expers videri ſolet. Aliter tamen ſenſit inter ceteros clariſſimus Leibnitius, quem quidem illi velut elegantioris plane Philoſophiæ cultorem egregium agnoſcunt, venerantурque; quippe qui dicere ſolebat *Scholaſtico ſub pulvere aurum non raro latere optimum,*

proinde-

proindeque ex illorum fontibus hortulos ſuos irrigaviſſe. Ea porro inſtructi penitus fuerunt quotquot fere ſuperius enumerati ſunt majorum gentium Theologi. Præter eos vero Martinus Azpilcueta, Ferdinandus Vaſquius, Franciſcus Sarmientus, Jacobus Cujacius, Petrus Barboſa, Franciſcus Calda-Pereira, Johannes Guterius, aliique innumeri. Novam autem Hiſpanos coluiſſe diligentiſſime, utiliſſimeque lippis, ita dicam, notum eſt, atque tonſoribus.

Erunt fortaſſe qui noſtris non ægre ſeveriores illas diſciplinas concedant, quæ acumen, quæ ſubtilitatem, quæ laborem, & patientiam deſiderant, humaniores vero, politioreſque literas invideant, quæ guſtu quodam exquiſitiore continentur. Sed ſi libuerit ſingula bonarum artium genera percurrere, non dubito ſane, quin ab errore, in quo hactenus verſati ſunt, deduci ſe ſe facile patiantur. Extulit enim ſe ex Hiſpano etiam ſolo uberrima quædam, lectiſſimaque, ita dicam, præſtantiſſimo-

rum

rum id genus Scriptorum ſeges, atque offert ſe ſe in primis jam laudatus Ludovicus Vives, quem inter tres viros ætatis ſuæ, Reipublicæ literariæ conſtituendæ aptos, communis fama, Doctorumque hominum judicium ita collocavit, ut non infimus ei gradus tribueretur. Nam quum Budæo ingenium, Eraſmo dicendi copia concederetur, Vivi judicium, quod quanti re in omni valeat nemo ignorat, tributum eſt. Occurrunt deinde alii, ut Johannes Andreas Straneus in reconditiore literatura verſatiſſimus, antiquitatis præſertim cultor eximius, qui colligendis veteribus numiſmatis diligentem operam inſumpſerat, atque in hac excolenda eruditionis parte aliis exemplo fuit. Tum Johannes Baptiſta Agneſius, D. Hieronymi, adverſus Eraſmi obtrectationes, ſtrenuus defenſor, & Johannes Baptiſta Cardona Præſul ampliſſimus, qui de dypticis commentarium ſcripſit, conſiliumque de inſtituenda Bibliotheca ad Philippum II. Regem;

quo

quo mira brevitate, perſpicuitate, & elegantia rei diplomaticæ fundamenta, & ſemina complexus eſt. Tum Alphonſus Garzias Matamorus, qui eruditionem Hiſpanam egregie vindicavit, & aſſeruit: Petrus Rhua Numantinus, qui ſomnia diſpulit, infeliceſque conatus compreſſit Guevaræ omnem antiquitati fidem derogare molienti, ubi a ſacris literis diſceſſeris. Quo labore ille, quam pulchre de republica literaria ſit meritus vel ex eo intelligi poteſt, quod quum deinceps non defuerint inter exteros, qui Guevaræ audaciam imitati vetuſtatis monumenta omnia pervertere aggreſſi ſint, eorum inſaniæ, ne ſe ſe latius diffunderet; doctiſſimi viri jampridem editæ lucubrationes vehementer obſtiterunt.

Grammaticarum jam, atque criticarum inſtitutionum lectiſſimos authores habemus Emmanuelem Alvarum, Franciſcum Sanctium, Petrum Hunneſium, ut illos nunc prætercam, quos jam

ſuperius commemoravi, qui graviſſimis de rebus diſputantes, partim vertendis veterum ſcriptis, partim implicatiſſimis difficultatibus enodandis, Hebraicæ, Græcæ, aliarumque orientalium linguarum ſe peritiſsimos probaverunt.

Nec minor Rhetorum, Oratorum, Poëtarumve copia, quorum Latinam alii, alii patriam linguam ornarunt. Ex illis Oratoribus nominaſſe ſatis ſit Johannem Petrejum, quem Andreas Navaſqueſius quum audire voluiſſet, eum Italis aliquando eloquentiæ laudem prærepturum ingenue confeſſus eſt: Andream Semperium, quem Sardi eloquentiæ præceptorem, & inſtitutorem magnis præmiis evocarunt. Inter eos vero, qui patriæ linguæ venuſtatem, copiam, majeſtatem ſcriptis ſuis velut immortalibus monumentis conſignarunt, eminent præſertim Ludovicus Granatenſis, Didacus Hurtadus Mendozius, Hieronymus Surita, Ambroſius Moralis, Michaël de Cervantes, cujus ſales,

les, ac leporem aliarum gentium ſcriptores permulti ſequi eo ſcribendi genere inſtituerunt, conſequi nemo ullus, ipſis fatentibus, valuit.

Poëtica jam facultate excelluerunt in primis Garzias Laſus de la Vega Lyricorum Poëtarum noſtrorum facile princeps, cujus & Latina carmina digna fuerunt, quæ a Petro Bembo, Jovio, aliiſque ſummopere commendarentur. Tum celeberrimus Gongoras, Didacus Hurtadus Mendozius jam laudatus, Antonius Lupius, aliique. Sed hic etiam libenter utar exterorum judicio, ac teſtimonio: fatentur ſane recentiſſimi Scriptores Drammaticæ Poëſeos perfectiſſima exempla a noſtris primum prodiiſſe hominibus, ex quibus exteri haud pauci non tam imitando, quam prope deſcribendo pleraque in lucem ediderunt, quæ ignoratis auctoribus nullam, ipſis autem editoribus immortalem gloriam pepererunt.

HActenus præſtantiſſimorum virorum, qui ſuperioribus ſeculis rem literariam editis monumentis illuſtrarunt, ſtudia, doctrinam, eruditionem in oculis, conſpectuque omnium exponere conati ſumus; ſiquidem hæc aptiſſima viſa ſunt ad confirmandam Hiſpanicæ gentis in ſcientiis, & bonis artibus excolendis induſtriam, eorumque opinionem refellendam, qui ampliſſimam illam regionem tenebris undique conſperſam, barbariſque ſemper moribus implicatam fuiſſe dictitare audent. Qui profecto ſi ad celeberrimas olim Hiſpaniæ Academias, unde ſummi in omni doctrinarum genere auctores prodierunt, & uberrima librorum ſeges procreata eſt, animum converterent, non tam facile in hanc iniquiorem ſententiam adducti fuiſſent. Neque deſunt exterorum teſtimonia ab omni ſuſpicione vacua, quibus compertum omnino fit, quam ſublimiorum ingeniorum ferax fuerit Hiſpanica tellus. Sive enim

Italos,

Italos, ſive Gallos, ſive Germanos optimæ notæ Scriptores conſulas, eorum opera Hiſpanorum laudibus, encomiiſque plena invenies. At dicet quis poſtremis ſaltem hiſce ſeculis imminutum fuiſſe præclarum illud literarum ſtudium, ac cæca quadam caligine illorum animis offuſa paullatim a bonis artibus alienos factos. Ego vero nunquam intermiſſam optimam illam ſtudiorum rationem, Hiſpanoſque hac noſtra ætate majorum ſuorum ſedulos uſque imitatores fuiſſe contendo, ſeu divinarum, ſeu profanarum rerum cognitionem perſecuti ſint. Ac ſi de Theologicis, quidem diſciplinis loqui juvet non unquam defuere quorum in ſacris interpretandis ſcripturis diligentiam, vel in tuendis Chriſtianæ religionis principiis, & refellendis Hæreticorum cavillationibus ſubtilitatem, atque conſtantiam vel denique in morum doctrina explicanda, & tradendis ſanctioris vitæ præceptis gravitatem, ſapientiamque magnopere laudandam

putes.

putes. Quid quod juris Civilis, & Pontificii cognitio tanto ſemper apud ipſos in honore fuit, ut eximia, quæ de hac ſcientia ediderunt, commentaria ſollicite ab omnibus juris utriuſque ſtudioſis exquirantur, ſummoque habeantur in pretio? Quæ autem cum juris publici plurimam conjunctionem habet hiſtoria adeo luculenter ab iis pertractata eſt, ut res geſtæ non legi, vel audiri, ſed plane uſurpari oculis videantur, &, quod caput eſt, maximam ſemper auctoritatem, ac fidem obtinuerint. Neque vero Philoſophia, quæ vere omnium artium parens eſt, non habuit extremis hiſce temporibus in Hiſpania cultores ſuos, eoſque acerrimos, ac ſtudioſiſſimos; nam ſive Dialecticam veri, & falſi quaſi diſceptatricem, ac judicem, ſive Metaphyſicas diſputationes altioris ſapientiæ principiis indagandis aptas, ſive multiplicem Phyſicarum exercitationum utilitatem ad cœleſtium corporum motus dignoſcendos, & naturalium rerum cauſſas

inve-

inveſtigandas mente complectamur, nihil intentatum noſtri homines reliquerunt, quominus ſingularem eo genere doctrinæ laudem conſequerentur. Quod autem attinet ad humaniores literas, dicendique facultatem, innumera exſtant monumenta, ex quibus perſpici facile poteſt, quam felici veterum imitatione Hiſpani homines aurei ſæculi candorem, ubertatemque expreſſerint.

Itaque non abs re fore mihi viſum eſt celebriores, qui in unaquaque diſciplina poſterioribus hiſce ſæculis floruerunt, Scriptores, hoc loco recenſere, certaſque in claſſes diviſos lectorum oculis ſubjicere. Hinc enim meridiana luce clarius fiet procul omnino a veritate abeſſe præconceptam nonnullorum de Hiſpanis opinionem, tum viguiſſe ſemper, & adhuc vigere apud eam nationem optimarum artium ſtudia immortales fructus datura. Ut autem eodem, quo in priori uſi ſumus, ordine progrediamur, libentiſſime hic ego Hiſpanorum indicem

dicem texerem, qui maximam Theologiæ, juriſque tum civili, tum canonici ſcientia laudem conſecuti ſunt, niſi me a propoſito ipſimet Hiſpaniæ obtrectatores dimoverent. Non enim adeo inſanire volunt, ut negent fuiſſe apud Hiſpanos & numero quamplurimos, & dignitate graviſſimos in memoratis diſciplinis doctores. Volant profecto per omnium ora inclyta, ut a Jureconſultis exordiar, nomina Hieronymi Gonzalez, Franciſci Penna, Johannis de Carthagena, Johannis Montalegre, Gabrielis Alvarez de Vellaſco, Johannis de Caſtillo. Quam vero ingeſſerunt iſti opinionem de Hiſpanorum peritia in juris tum Civili, tum Canonici fontibus aperiendis, ſatis ſuperque etiam confirmant egregia opera Joſephi Santolaria, Emmanuelis Barboſa, Antonii de Fuentes, Joſephi Vela, Joſephi Pellicerii, Petri de Tapia, Bernardi Oliverii, Johannis de Avila, Didaci Franciſci de Villalva, Petri Valiente,

Em-

Emmanuelis de Aramburu, Petri Joſephi Perez Equitis Ordinis de Calatrava, aliorumque. Tam vero illi docte, tam ſolide, tantaque eruditionis copia ſcripſerunt, ut ab iis etiam maxime commendati ſint, qui ceteroquin Hiſpanorum ſtudia parvi faciunt. Quid nunc Theologos, aut ſpiritualis vitæ Magiſtros enumerem, aut quis in ea facultate hoſpes adeo eſt ac peregrinus, ut ignoret egregia opera Dominici Bannezii, Gabrielis Vaſquez, Benedicti Pereira, Ferdinandi Baſtida, Johannis de Lugo, Johannis Martinez de Ripalda, Cardinalis Aguirre, Antonii Arbiol, Jaimi Corella, Johannis Marin, Thomæ Madalena, Emmanuelis Navarretti, Emmanuelis Villarroël, Bernardi Vargas? Adde his Alphonſum Rhodericum, Ludovicum a Ponte, Ægidium Gonzalez, Ludovicum de Palma, Euſebium Nierembergium, alioſque innumeros, quorum elogia proferre nimis longum foret, & ab eo, quem

 initio

initio propoſuimus, ſine alienum, quum nemo unus illos omni laude dignos eſſe non ultro fateatur. Ut itaque ad alia faciamus tranſitum;

Philoſophiam quotquot ſunt de re literaria optime meriti, nobiliſſimam eſſe artem agnoverunt, eamque ſcientiis aliis acquirendis ſummopere neceſſariam prædicarunt. Hinc vere dixeris regionem illam, cujus apud incolas nullo ſit ea in pretio incultam omnino, barbariſque Scythis comparandam eſſe. Hiſpanos homines ſi non oſores, ſaltem veræ Philoſophiæ ignaros haberi a plurimis atque contemni, me non latet. Jure ne, an immerito id fiat, ſubinde breviter oſtendam. Illud autem in primis ſolatio mihi eſt, quod prope omnes fateantur, faterique debeant floruiſſe ſemper, & etiam nunc in Hiſpania vigere Philoſophiam, quæ vulgo Scholaſtica nominatur, a qua cæteroquin artes reliquæ perſpicuitatem quamdam, & ordinem mutuatæ ſunt. Rem hanc, ſi

a pro-

a propoſita brevitate digredi placeret, urgerem vehementiſſime adverſus illos, qui exili, ac minus diligenti ratiocinatione contenti res ipſas permiſcent, peſſimeque confundunt, & Philoſophi tamen haberi volunt. Profecto non Phyſica modo, verum etiam Dialectica, Metaphyſica Philoſophiæ partes ſunt; neque perfectus Philoſophus exiſtimandus eſt is, qui Phyſica quædam experimenta in medium proferens vel nullam de illis reddat rationem, vel nullam id præſtet methodo, ac via. Quod ſi inter tot Scholaſticos Philoſophos quos Hiſpania numerat, plures fortaſſe ineptos eſſe contendas, tantum id ego ſcire velim ubinam gentium ita floruerint artes, ut ex earum cultoribus nemo intra mediocritatem conſtiterit, omnes ad unum fuerint excellentiſſimi. Interim illud libenter accipio, quod unanimis omnium conſenſus probat, Hiſpanos ſcilicet in Scholaſtica Philoſophia facile principes fuiſſe. Quum autem ea par-

tes duas complectatur, eaſque nobiliſſimas, tametſi exculta naturalis ſcientia magnopere non fuiſſet, non inde ſequitur exſulaſſe prorſus Hiſpania Philoſophiam, niſi forte hoc nomine una Phyſica intelligatur. Neque ſi Phyſicæ ſcientiæ ignari omnino noſtri homines una ætate, vel altera fuiſſent, quod falſo jactari ſatis evincunt vulgata paſſim virorum ingenio, doctrinaque præſtantiſſimorum opera; ob eam rem tamen non adeo fidenter barbara, & inculta regio vocanda eſſet Hiſpania. Quis enim provinciam aliquam, vel nationem afferre queat, quæ vel ſemper, vel in omni liberali arte, optimiſque diſciplinis floruerit? Sed hæc curſim, & non ex inſtituto.

Venio nunc ad illos præſtantiſſimos homines, qui, ſuperiori ſeculo, tum hac noſtra ætate & magnum Hiſpaniæ honorem, & maximam Philoſophiæ candidatis lucem præclariſſimis ſuis laboribus adtulerunt. Si omnes ego in medium proferre

re vellem, ultra modum, quem ab initio præfinivi, opus excreſceret. Quapropter ab ea, quam hactenus proſecutus ſum, via non diſcedam, paucis in præſentia contentus. Occurrit autem in primis Rhodericus Doſma Delgado Pacenſis, qui linguarum Biblicarum, ideſt Chaldaicæ, Hebraicæ, & Syriacæ notitiam, præter Græcam, Latinam, Italam, atque Gallicam, non ſine maxima omnium admiratione, cum Matheſeos, & rerum Phyſicarum ſtudio conjunxit. Clara illius elogia a viris cum dignitate, tum ſcientia graviſſimis exſcripta hic referre ſupervacaneum puto; ſatis enim illum commendant luculentiſſima ejus opera typis edita anno 1708. Eadem profecto de cauſſa multa, eaque diſertiſſima prætermitto elogia, quæ data legimus Antonio Ponce Santa-Crucio, Didaco Perez de Mera, Andreæ Garziæ de Ceſpedes, Petro Fernandez de Torrejon, Vincentio Marinerio, Cypriano Maroxa, Johanni Martinez

del

del Prado. Quam bene meriti de re Philoſophica Hiſpani iſti fuerint, elenchus ipſorum operum, quæ a Nicolao Antonio citantur, invictiſſime ſuadebit. Quæ ſcripta ſunt ab Hippocrate ad Phyſicam pertinentia, quæque Galeni, & Avicennæ fuerit doctrina, philoſophice horum primus expoſuit; ſecundus autem plures in Nauticam, in omnes fere demonſtrationes Geometricas, & in Arithmeticam libros ſcripſit, & Ariſtotelis Phyſicam in compendium redegit; tertius, nempe Andreas Garzias de Ceſpedes, Geometricorum quorundam inſtrumentorum, quæ tum ipſe, tum alii recens invenerant, uſum explicavit. De aquæ ductibus etiam, & de vi tormentorum bellicorum plura diſſeruit, Vincentius Marinerius, quem Eſcurialenſi Bibliothecæ cuſtodem Matritenſis Aula deſtinavit, tredecim poſteritati reliquit ſuper variis Philoſophorum ſententiis diſſertationes; remque Phyſicam nonnihil illuſtravit accurata de animalibus,

malibus, eorumque partibus hiſtoria, quam poſt ejus obitum publici juris fecerunt Phyſicæ facultatis amatores. Johannes Martinez del Prado jam laudatus, quique magnum inter Dominicanos nomen eſt conſecutus, Philoſophiam non ſine laude profeſſus eſt, profiteturque adhuc editis de hac facultate tomis quinque, in quibus obſcuriſſimas tum Metaphyſicæ, tum Phyſicæ quæſtiones ſolidiſſime enucleavit. Si per tempus liceret, aliquos adhuc, ex innumeris aliis ſeculi ſuperioris Philoſophis, breviter commemorarem; ad Hiſpaniæ tamen dignitatem vindicandam adverſus ipſius obtrectatores ſatis ſunt Alvarus Alphonſus Barba, Antonius Sala, Antonius a Matre Dei, Johannes Azorius, Johannes Epiſcopus Mindonenſis, Johannes Caramuel, ac Benedictinorum, & Purpuratorum Patrum ſplendor, & decus Cardinalis Aguirre. Quam fuerint hi rerum ad Philoſophiam pertinentium periti, ſtatim videbis, ſi Struvium, &

Ni-

Nicolaum Antonium adeas. Scio equidem in eorum operibus plures etiam ex illis quæſtionibus reperiri, quas per contemtum Peripateticas vocant recentiores aliqui, ideſt, horum ſenſu, inanes prorſus, nulliuſque ponderis. Tales enim, ita uſu omnia ad arbitrium moderante, habendas eſſe volunt diſputationes, quas vel non legant apud Carthesium, Gaſſendum, Merzenium, Nevvtonium, Graveſſande, Noletum, alioſque, vel implexas non videant Algebraicis difficultatibus, atque Geometricis conſarcinatas demonſtrationibus. Scio, inquam, plures ex his quæſtionibus reperiri apud Hiſpanos, de quibus eſt ſermo; at non ideo e cenſu Philoſophorum erunt expungendi. Habent ſuam quoque hujuſmodi quæſtiones utilitatem. Eas ex inſtituto agitarunt Angelicus Doctor, Scotus, Bacconus, uterque Soto, Suarezius, aliique celeberrimi viri ad Barbaros certe non amandandi. Spero

ro autem, nec immerito, cenſores iſtos, quem hactenus contra Hiſpanos exercuerunt, ſtylum, facile abjecturos eſſe, ſi libros in Hiſpania paucis ab hinc annis editos, depoſitis partium ſtudiis, adire velint. Vincentius Forca in breviſſimo iſto catalogo primum locum obtineat; Philoſophiam corpuſcularem ſcripſit ad Gaſſendi placita elaboratam, in qua corporis proprietates detegit, generales regulas, ſecundum quas moveri corpora dicuntur, perpendit, & corpus ipſum ſibi examinandum proponit; phœnomena innumera uſque ad evidentiam explanat, &, quæ a majoribus hauſit circa res naturales, falſa judicia ſolidiſſime corrigit. Quare factum, ut tanti viri Philoſophiam & magnopere ſemper laudaverit, & typis edendam curaverit vir clariſſimus Gregorius Mayans. Quam aſſiduam ſpeculationi rerum Phyſicarum operam dederit Antonius Aloyſius de Medina facile conjicies ex ipſius de nutritione humani cor-

poris tractatu, quod opus plane eſt Medicis, æque ac Phyſicis utiliſſimum; illius enim author dum Medicum agit, Phyſicum quoque eximium ſe probat. Mirandos in Philoſophia progreſſus fecit Johannes Baptiſta Berni, quorum teſtis eſt conſcriptus ab eo liber de Philoſophia naturali.

Age vero enumeremus alios, qui gloriæ, & immortalitati propria nomina conſecrarunt, non ſolum propter omnigenam, qua floruerunt, florentque adhuc, eruditionem; verum etiam propter innumera, eaque ſolidiſſima de rebus Phyſicis relicta monumenta. Quanta dicendi copia opus eſſet, ſi pro dignitate laudare vellem Emmanuelem Marti, Ludovicum Loſſada, Martinum Martinez, Benedictum Feijoo, Emmanuelem a Conceptione, alioſque. Laudatorum primus Valentiæ in ea diſciplina adeo excelluit, ut communis eſſet eorum, cum quibus in ſcholis verſabatur, opinio, nihil eſſe in ſtudio, cui vacabat, tam arduum,

atque

atque a vulgari cogitatione remotum, quod ipſe non pervaderet; nihil tam reconditum, atque implexum, quod mira facilitate non ſolveret. Roma deinde profectus, quam hauſerat in patria, Phyſicarum rerum notitiam prodidit bis decem Elegiis, quibus titulus Amalthea Geographica. In eis explicatas leges plantarum, herbarumque naturam, atque eleganti ſtylo expoſita quæ alii de metallis, inſectis, piſcibus, atque ſerpentibus diſſeruere, frigoris præterea, & caloris cauſſas, proprietates, & affectus clariſſime demonſtrata miraberis. Compoſuit pariter tractatum de animi affectionibus, minime contemnendum, quem merito vivam illarum imaginem appelles. Eximii hujus operis Reipublicæ literariæ copiam fecit, adjuncta laudati Gregorii Mayans præfatione, excellentiſſimus apud Hiſpaniæ Regem Britaniæ Legatus ſub anni ſuperioris finem vita functus. Ludovicus Loſſoda Soc Jeſu Sacerdos, & in Salmanti-

cenſi Athenæo Theologiæ Profeſſor, duos de re Philoſophica libros edidit. Si tantiſper in amæniſſima ipſorum lectione immoreris, profecto diſces, quam accurate verſatus fuerit in diverſis Philoſophorum Principum ſiſtematis, tum quam ſincero, & ſubtili judicio vera ſecernens a falſis propriam exponat, propugnetque ſolidiſſimis rationibus ſententiam: &, quod laude dignius eſt, ignorare ſe (cui enim mortalium de Phyſica univerſa ſine ullo errore diſſerere datum eſt?) quædam phœnomena fateri non erubeſcat; quod incertum eſt ita pertractans, ut pro utraque parte ſententias referat, quin ullam earum ut certam ſtabilire audeat; quæ veritati conſentanea docuerunt Gaſſendus, Nevvtonus, aliique recentiores ſubtiliſſimo examini ſubjicit, & quæ ut dogmata nullis probationibus nixa aſſeruerunt, quia vel omnino fictis, vel incertis quidem, ut plurimum experimentis uſi ſunt, prope ad evidentiam refellit.

Mar-

Martinus Martinez Medicæ ſocietatis Hiſpalenſis Prætor ſuæ in Phyſicis peritiæ tot teſtes reliquit, quot exſtant libri (exſtant autem complures) ab eo de hiſce rebus conſcripti, in quibus legere eſt tum veterum, tum recentiorum Philoſophorum placita mirum in modum enucleata undecim nitidis, nec ſane injucundis Ariſtotelicum inter, & Cartheſianum Gaſſendiſtam ſcepticum dialogis. Scripſit etiam non infeliciori Minerva Philoſophicam hiſtoriam; de natura, & proprietatibus corporis naturalis, totiuſque orbis terreni, & cœleſtis propria phœnomena inveſtigavit. At ejus ingenii acumen ibi magis enitet, ubi ex inſtituto ſolvendam ſibi proponit, libello ad hoc ſpeciatim elaborato, implexam illam quæſtionem: *an inſit brutis anima ſenſitiva*. Anatomicarum circa humanum corpus obſervationum nobis copiam facit, additis quibuſdam experimentis, & tabulis, in quibus idem corpus, ejuſque ſtructura deſcribun-

buntur. Benedictus Feijoo ſummus olim Benedictinæ familiæ Abbas, ſacrarum literarum, & Theologiæ profeſſor emeritus tomos, nec exiguos, ultra duodecim, quibus titulus, *Theatrum criticum*, ſcripſit. Paſſim, neque contemnendas, reperies in eis Phyſicas aliquas, atque Geometricas difficultates enucleatas, quarum ſolutionem ſolidis explicatam rationibus, & ex plurimorum Philoſophorum libris petitam habes. Tanti viri memoriam non ſine honore recolunt quotquot ipſius librorum lectioni navarunt operam. Joſephus Vazquez de Morales ex Gallica in Hiſpanicam linguam tranſtulit, quæ circa electricam machinam, ejuſque mirandos æque, ac inexplicabiles effectus Noletus edidit; quam profecto interpretationem noſter non parum exornavit, addita, quam ipſe ſcripſit de electricitate, hiſtoria, in qua omnes fere, qui hactenus de hac re diſſeruerunt, authores commemorat. Andreas Picquerius magnam ſibi gloriam comparavit,

vit vel extra Hiſpaniam propter editam ab ſe Logicam, Phyſicaſque diſſertationes, quas in duos tomos diſtribuit. Hujus viri nomen plurimis efferunt laudibus Diarii Pariſienſis authores. Mathæus Aymericus in Barcinonenſi Soc. Jeſu Collegio Scholaſticæ Theologiæ Profeſſor inter optime meritos de Philoſophia jure numerandus erit ob ſuas, quas duobus ab hinc annis ſcripſit, proluſiones. Germanum veræ Philoſophiæ ſpecimen in eis reperies: nam poſtquam Arabum vitia in tradenda hujuſmodi facultate deploravit, quæ vera ſunt exponit, quæ falſa magno rationum apparatu refellit, de veteri æque, ac recentiori Philoſophia differens. Quod adeo feliciter Doctor iſte præſtitit, ut laudatorem ſibi meruerit clariſſimum virum Hieronymum Lagomarſinum in opere, quod vulgavit de Julii Pogiani epiſtolis, & orationibus.

Vellem, liceret hic mihi a propoſita brevitate diſcedere; fuſiori calamo, qualem merentur ipſo-

rum

rum opera, & labores tantorum hominum laudationem adornarem. Aliqua etiam exponerem circa literatorum virorum Academias, quæ ſub inclyto Rege Ferdinando VI. munificentiſſimo bonarum artium patrono identidem excitantur in Hiſpania. Quod ſi facerem, ſperarem profecto fore, ut eorum numerus, qui audacter nimis incultos, barbaroſque prædicant Hiſpanos, magna ex parte minueretur.

Hactenus de Hiſtoricis, in quibus commemorandis diutius fortaſſe ſum immoratus, quam res poſtularet; tranſitum nunc faciam ad Medicos. Hos ſi vellem recenſere omnes, dies me potius, quam oratio deficeret: nonnullos igitur tantum obiter indicabo, ut ei coactus inſerviam brevitati, quam hujuſce temporis circumſtantiæ præſcribunt mihi: rem ſtatim adgrediamur. Quantum Hiſpanis authoribus medendi ars præſtantiſſima debeat vel ipſi fatentur Itali; primas autem tenent, ut excellentes hac in re exiſtimant viri,

Bernar-

Bernardinus de Aregon, a quo in lucem prodiit methodus, vel praxis applicandi infirmis remedia, deque horum conſolatione, Chriſtophorus Perez de Herrera, Alphonſus de Freilas, qui de curanda amovendaque peſte doctiſſime ſcripſit, atque elegantiſſime Simon Bamos, qui utiliſſimum, numeriſque omnibus abſolutum de ſero lactis, & Phtyſana tractatum edidit; & invectivam præterea apologeticam miſcellaneam in Gaſparem Calderam de interpretatione verborum Plinii, aliaque non pauca eximia opera ſcripſit, acute admodum, atque eleganter. Tum Petrus Pereda Valentinus, qui in Michaëlis Paſchalis methodum curandi morbos ſcite animadvertit, & merito, quique ſex præſtantiſſima in libros Galeni edidit commentaria de morborum, atque ſimptomatum differentiis, & cauſſis. Petrus Manceho a Guado qui de triſtitia, ejus ſignis, & curatione, utiliſſimum, rariſſimumque publicavit librum. Petrus Michael de Heredia plu-

rimis, egregiiſque operibus editis celeberrimus Michaël de Borbon, Martinus Martinez, Antonius Rodriguez, Andreas Piquer, Petrus Leo Gometius, Franciſcus Garzias Hernandez. Uno me expediam verbo, quantum de facultate hac fere divina Hiſpani ſint meriti & graviſſimorum Auctorum, & ipſius etiam R. S. P. A. teſtimoniis luculentiſſime patet.

Si de Mathematicis, Geograficis, & illis, quæ ad hiſtoriam eorum pertinent, ſermonem inſtituamus, quem fugit quanta cum laude verſatus ſit eruditiſſimus Antonius de Herrera Tordeſillas? Hic multa ſcripſit ea diligentia, & elegantia, ut de eo vir ſummus Gerardus Voſſius ſcribere non dubitaverit: *neque enim alius majori fide, & induſtria obſervavit fines Provinciarum, & magnitudinem maris tractus, promontoria, inſulas, fluminum flexus, oſtia, & portus, lacuum amplitudinem, regionum ſitum, ratione tum vicinorum tractuum, tum etiam Cœli. Item proventus ſingula-*

rum,

rum, quæque ad urbes, & propugnacula pertinent. Optime quoque de hoc doctrinæ genere meritus eſt Andreas Garzias de Ceſpedes novis inventis ad altitudines, atque diſtantias dimetiendas geometricis inſtrumentis celeberrimus, ut eximios ejus de conductione aquarum tractatus prætermittam. Quid referam Johannem Caramuellem, qui de novem ſyderibus circa Jovem viſis ſcripſit doctiſſimum, ac præſtantiſſimum librum, cui titulus, *Matheſis audax*, nec non egregium mathematicum curſum publici juris fecit, & pleraque alia ſcripta diligenter elaborata poſteris reliquit, ex quibus uberrimi in omnes facultates fructus redundarent. Non minorem ſane hac in re laudem ſunt conſecuti Paullus Cibramonte, Ludovicus de Miranda, Paullus de Mera, Petrus de Syria, Bernardus Vargas, Joſephus de Seſſe Aragonius, qui generalem totius orbis, & peculiarem Terræ Sanctæ deſcriptionem edidit, tum Petrus Porter Caſſanate mathematica-

rum,

rum, æque ac Nauticarum rerum peritiſſimus, Ludovicus Pacheco ſummus iſtius diſciplinæ Doctor, qui Philippum IV. æternæ memoriæ Principem inſtituit, Mathemathicæ ſcientiæ præceptis imbuit. Offerunt ſe ſe deinde alii benemulti, quos inter non inferiorem tenent locum Peralta, Gamboa, Vellaſco, Medrano, Revillas, aliique, quorum magnifica mentio apud Règiam Scientiarum Pariſienſem Academiam, ac præ ceteris Vincentius Foſca, quem Mathematicum inſignem appellat Moreri, cujuſque numeris omnibus abſolutum Mathematicæ quantam afferre valeat Matheſeos ſtudioſis utilitatem ii norunt omnes, qui præſtantiſſimam hanc doctrinæ partem vel a limine ſalutarunt.

Venio nunc ad virum ingenii acumine, doctrina, probitate celeberrimum, cujus præclara in literariam Rempublicam merita ſi commemorare velim omnia, diutius multo, quam propoſita brevitas patiatur, mihi certe eſſet immorandum:

unum

unum duntaxat illius aureum opus, ſingulari doctrina, & ſummo artificio elaboratum, proferam, quod totius bellicæ ſcientiæ corpus jure quidem merito Langletus vocat. Silentio nequaquam ſunt prætereundi viri clariſſimi, omnique laude digni, Gregorius Juam, atque Antonius de Villoa. Quum enim Galliarum Regis juſſu ex Pariſienſi Academia peritiores Mathematici delecti eſſent, ut Americanam regionem meridiani gradus ad æquatorem dimetiendi cauſſa peragrarent, a Philippo Hiſpanorum Rege invictiſſimo, ingenuarum artium, ac diſciplinarum amantiſſimo, facile impetrarunt, ut illis ſe ſe itineris comites, & adjutores adjungerent. Quo circa accuratiſſimam ipſi quoque dimenſionem doctiſſimis commentariis in lucem prodiderunt, unde exterorum omnium admirationem, & plauſum conſecuti ſunt, ſimulque eruditis omnibus probarunt inſignes Mathematicos alere Hiſpaniam, quos

facile

facile aliarum gentium Principibus in ea facultate viris opponere queat.

Jamvero, ut Eccleſiaſticam percurramus Hiſtoriam, quam egregie de ea meritus ſit Franciſcus de Padilla ſummus Theologiæ Doctor, norunt ii omnes, qui eximia illius opera perlegerunt. Præterquamquod enim Conciliorum omnium accuratam tradidit chronologiam, Eccleſiaſticam quoque Hiſpaniæ univerſæ hiſtoriam ornate, candideque ſcripſit. Quæ ad Eccleſias omnes, Monaſteria, & Noſocomia pertinent, viginti duobus voluminibus complexus eſt Antonius Zappata Segobricenſis. Hiſpaniarum autem, necnon Indiarum Eccleſias ſimul conjunxit Ægidius Gonzales de Avila, ipſarumque originem, & progreſſum magno labore inveſtigavit. Joſeph Jaëſus de Aguirre clariſſimus Eccleſiæ Romanæ Cardinalis Hiſpanica Concilia in unum collecta, atque editis diſſertationibus locupletata publici juris fecit, maximamque ſibi famam com-

paravit. Atque hi univerſas quidem Eccleſiarum Hiſpanienſium res executi ſunt. Quod autem ad ſingulas partes pertinet, Petrus de Sandoval in recenſendis Pampelonenſis Eccleſiæ Epiſcopis, & Gabriel de Seſſe in Barbaſtrenſis Epiſcopatus illuſtranda hiſtoria nemini profecto ceſſerunt. Michaël de Salinas adventum Chriſti Domini, ac Divi Jacobi prædicationem in Hiſpania adverſus Cardinalis Baronii opinionem luculentiſſime vindicavit. Balthaſſar Porvens, & Petrus Salaſſar de Mendoſa de Toletanis Archiepiſcopis multa cum laude ſcribere adgreſſi ſunt, ipſorumque veſtigiis glorioſiſſime inſtiterunt Johannes Marieta, & Didacus de Caſtejon, quorum primus Toletanis Archiepiſcopis Sanctorum Hiſpaniæ catalogum addidit; alter ejuſdem Toletanæ Eccleſiæ initium, & incrementa inveſtigavit. Magnam quoque nominis celebritatem adepti ſunt in conſcribenda quidem Cordubenſis Eccleſiæ, ac ejus Præſulum hiſtoria Bernardinus de Alderete; in

enu-

enumerandis Epiſcopis, & Abbatibus Aragonenſis regni Martinus Carillo; in deſcribenda regni, atque Epiſcopatus Jaënſis hiſtoria, & demonſtrando Chriſtianæ religionis in eodem regno initio, & progreſſu Franciſcus Ruiz de la Puerta; in patefacienda veræ religionis in Toletano regno antiquitate Thomas Tamajus de Vargas; in oſtendenda demum Granatenſis urbis antiquitate, fideique in ea propagatione Franciſcus Bermudez de Pedraza.

Quod ſi ad noſtra hæc tempora deſcendere lubet, ſtatim ſe ſe offert magnificentiſſimum opus doctiſſimi, æque ac nobiliſſimi viri Vincentii Bacallar Sancti Philippi Marchionis, *de Hebræorum Monarchia*, quod qualem, ac quantam ſolertiam, atque doctrinæ copiam poſtulaverit, nemo in hoc eruditionis genere exercitatus non videt. Quam vero hac etiam in re laudem promeritus ſit Nicaſius Secillanus ex ejus celeberrimo de antiquitate Eccleſiæ Toletanæ opere apertiſſime conſtat. Quid univerſalem Eccle-

ſiæ,

ſiæ, atque orbis terrarum hiſtoriam commemorem, quam Gabriel Alvarez de Toleto conſcripſit, immenſum ſane opus, & quod admirari quidem poſſis, laudare ſatis non poſſis. Neque ſilentio prætermittendus eſt aut Johannes Facundus Rolin, qui Diamperitani Concilii acta ſumma cura, multoque ſtudio redegit, aut Franciſcus de Prado Equeſta Tyruelenſis Epiſcopus, qui canonicam poteſtatis Epiſcopalis defenſionem typis vulgavit, & Auguſtinus de Sales, qui hiſtoricam, criticam, & apologeticam diſſertationem edidit de Calice, in quo Chriſtus Dominus in ultima Cœna conſecravit. Quantum autem operæ, laboris, ac diligentiæ in ſacra conſcribenda Hiſtoria Henricus Florez collocaverit, iis judicandum relinquo, qui *ſacram ejus Hiſpaniam* vel primoribus labiis deguſtaverunt. Denique, ut ab aliis non paucis æque excellentibus doctrina viris recenſendis abſtineam, quantam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lucem Hiſpani Scriptores adtulerint ex recenti eru-

 ditiſſimi

ditiſſimi viri Franciſci Perezii de Bajer opere, cui titulum fecit *Damaſus, & Laurentius Hiſpanis aſſerti*, ſatis omnibus, ut credo, notum fiet, atque compertum.

Profanam vero Hiſtoriam coluit in primis Johannes Mariana, cujus monumenta excellentiſſima omnium animis, atque ore feruntur. Ecquis enim ignorat quantum ſtudii, laboris, ac diligentiæ contulerit in deſcribendis triginta copioſis voluminibus Hiſpaniæ rebus, aliiſque permultis, præſtantiſſimiſque operibus? De eximio hoc viro ſatis ſit graviſſimi Eccleſiaſticorum Annalium Scriptoris teſtimonium referre, qui de Johanne Mariana ſcribens, eum compellat veritatis amatorem, pietatiſque optimum conſultorem, quippe privato affectu carens, accuratiſſime perſecutus fuit, rebuſque noſtris ſupremam appoſuit manum. Tum Martinus de Roa, qui ſingularium rerum quinque edidit volumina, in quibus cum ex ſacris, tum ex humanis lite-

literis multa ex gentium, Hebræorumque moribus luculentiſſime explicantur; de Cordubæ præterea in Hiſpania Bætica Principatu, & de auctoritate antiquitateque Sanctorum Martyrum Cordubenſium, nec non de Cordubenſi Breviario ſcripſit ſcite admodum, atque eleganter. Franciſcus Diago in latina lingua verſatiſſimus Valentini Regni annales ſumma diligentia conſcripſit, tum exactam Cataloniæ deſcriptionem tradidit, & de antiquis, invictiſque Comitibus Barcinonenſibus eximie diſſeruit. Franciſci de Piſa Toletana Hiſtoria quantam ei gloriam, ac famam pepererit neminem fugit. Hieronymi Pujadis elegantiſſima Catalonienſis Principatus chronica a ſummis, eruditiſque viris maximi ſemper eſt habita. Gaſpar vero Eſcolano primam Valentinæ urbis, ac Regni decadem miro ordine diſtribuit; ac tres quidem promiſerat, quibus ſe totam Valentinæ urbis, ac Regni hiſtoriam comprehendere fatebatur; verum immatura præreptus morte, cete-

ras nobis reliquit deſiderandas. Martinum Carillo ſilentio prætermittere nefas eſſet. Hujus opus præſtantiſſimum, quod res omnes continet, quæ in orbe terrarum, ac in Hiſpano præcipue ſolo a Mundi principio ad Philippum uſque IV. evenerunt, quam improbum laborem, quam acutam ingenii aciem, quantas memoriæ vires, eruditionem qualem, ac quantam expoſtulaverit norunt omnes, qui conſcribendæ hiſtoriæ præcepta didicerunt. Jam vero quis ignorat quam docte, quam egregie, diligenterque de Caſtillæ Regibus, deque vita, geſtiſque Caroli V. Imperatoris Prudentius diſſeruerit de Sandoval? Quibus rationum momentis Maurorum Hiſpaniæ chronologiam, juſtamque eorum ab Hiſpaniæ finibus depulſionem demonſtraverit vir doctiſſimus Jaimus Bleda? Qua venuſtate, elegantia, ac diligentia de antiquitate, ac magnificentia urbis Matritenſis Hieronymus de Quintana? Quam accurate de Hiſpani Regni amplitudine, deque ejus

ex-

excellentia Alphonſus Carillo Laſſo de la Vega? Alphonſus vero Fernandez Placentinus quantam ſibi comparaverit laudem, ac famam in referenda Placentinæ urbis, atque Principatus hiſtoria, videant eruditi. Prætermittendus haudquaquam eſt Bernardus de Alderete, cujus de variis antiquitatibus Hiſpaniæ, Africæ, aliarumque Provinciarum opus doctiſſimum, parum commune, & ingenuarum eruditionum plenum Langletus nominat. Thomam Tamajum de Vargas, Franciſcum Didacum de Aynſa, atque Alphonſum Sanchez *Moratalla* notiſſima, ac multa, quæ typis mandarunt, opera ſatis commendant. Nec minorem ſane conſecuti ſunt gloriam Petrus de Roxas, ac Franciſcus Andreas de Uſtarroz, quorum primus numeris omnibus abſolutam Toleti hiſtoriam edidit; alter vero de urbis Malen antiquitate, de veteribus Hiſpanis nummis, quos D. Vincentius Juan de Laſtanoſa in publicum protulit, & de Aragonenſium Regum coronationi-

bus

bus accuratiſſime ſcripſit; Didacum de Saavedra Faxardo, quem eruditiſſimus Struvius virum doctrinæ ſoliditate, judicio, uſu, animoque cordato inſignem appellat, nequaquam commemorabo. Neque Joſephum Pellizer de Salas in medium afferam, qui quantum doctrina valuerit, & eruditione quinquaginta, & ultra, quæ promulgavit, opera ſatis aperte declarant. Ad recentiores jam deſcendamus: Navarienſis Regni annales elegantiſſime, atque accuratiſſime proſecutus eſt Franciſcus de Alezon. Succeſſionem Philippi V. Hiſpanæ Coronæ juſtiſſimam demonſtravit Antonius de Ulloa, & Medina. Gallitiarum Regni annales diligentiſſime, eruditiſſimeque tractavit Xaverius Emmanuel de la Huerta. In referenda Hiſpaniæ hiſtoria ab orbe condito ad annum uſque milleſimum tercenteſimum quadrageſimum immortalem adeptus eſt famam Johannes de Ferreras; in enarranda Maurorum in Paraguay reductione Johannes Patritius

Fer-

Fernandez ; in deſcribenda generali orbis terrarum hiſtoria Barnabas de Rebolledo; in demonſtranda celebris Cantabriæ antiquitate Emmanuel de Laramena. Quali vero, quantaque in luce res omnes Hiſpaniæ collocarit Hiſpana Johannis Franciſci Rivarolæ Monarchia, ejuſque nobilitatis ſtemma, norunt eruditi. Poſt laudatos hoſce celebres doctrinæ fama viros merito recenſendus Emmanuel Durandus, per quem demonſtratum eſt quomodo, ac quando Hiſpalenſi Regno potitus ſit D. Rex Ferdinandus. Tum Antonius Fernandez, qui de Hiſpano jure ſcripſit eruditiſſime; Chriſtophorus Rodriguez, qui de univerſali Hiſpana Poligraphia, quam jubente Rege noſtro invictiſſimo Nicolaus Naſarre publicavit, inſigniter eſt meritus; Franciſcus Xaverius, qui patentiſſimum, utiliſſimumque exhibuit Hiſpaniæ theatrum. Jam vero qualem, ac quantam eruditionem præſeferat, atque doctrinam chronologicus Marchionis de Mondecar diſcurſus

ſuper

ſuper anno, quo Hiſpaniam ingreſſi ſunt Mauri, nemo ſanus non videt; quantum etiam ſalis, leporiſque contineant criticæ ejus notæ ad Johannis Marianæ hiſtoriam idoneis judicandum relinquo. De viro præſtantiſſimo Marchione Sancti Philippi nihil refero; doctiſſima ejus, ac plane mirabilia de bellis Hiſpanis commentaria a milleſimo ſeptingenteſimo ad Viennenſem uſque pacem, eum commendant ſatis. Offerunt ſe ſe deinde alii, quos inter eminent Paullus Ignatius Dalmaſſez, Pater Caſſani, Antonius Pallomino Vellaſco, tum Vincentius Ximen, Joſeph de Gumilla, Petrus Morillo; & quis omnes velit commemorare?

Nunc de Hiſpanis Muſis ſermo ſit, quas in noſtris Regnis nec infrequentes eſſe, neque, ut ita dicam, raucas, & injucundas, quales apud exteros ipſæ audiunt, proclive eſt demonſtrare. Etenim quanta mihi dicendi ſylva naſcitur! Quot occurrunt memoriæ Poëtices amatores! Eorum plurimos orbi univerſo

verſo notos reddidit Gallorum, & Italorum Poëtarum ingenium, quorum ſtudio factum, ut apud ſuos etiam reſonent, quæ illi materna lingua Hiſpanis cecinerunt. Ludovicus Gongoras vates ad exterorum invidiam natus quamplurima ſcripſit vincta numeris volumina, in quibus ingenii ſublimitatem maxima cum perſpicuitate (quæ certe rara eſt Poëtarum virtus) mirum in modum conjungit. Quare inter eos, qui tunc temporis Poëticam diſciplinam excolebant, primum locum obtinere creditur vir ille præſtantiſſimus Lopes de Veça Matritenſis, quem exemplo ſuo confirmaſſe illud crediderim, quod, ut ajunt, Rhetorem fieri, Poëtam autem naſci oporteat. Dictavit jam aliis verſus, ſi fides Nicolao Antonio adhibenda, nec dum puer, ſcilicet cum ei manus formandis literis non adhuc ſufficeret. Illum autem Hiſpana comœdia principem agnoſcat neceſſe eſt; nullus enim, vel qui ante ipſum, vel qui poſtea vixerit, inter tot ingenio,

& eruditione præſtantes viros, munditiam, proprietatemque comici ſermonis, quam is adſecutus eſt, æquare potuit; quum ipſe unus Poëtarum fere omnium Comicorum, quorum apud nos vigeat memoria, luminibus obſtruxiſſe videatur. Mille, & octingentis editis comœdiis præter innumera, quæ compoſuit, acta ſacramentalia, ut Hiſpani vocant, ſeque, ſuamque patriam, quaſi ampliſſimis monumentis, conſecravit. In tanti viri obitu tenere lacrymas non potuerunt tam Hiſpanæ, quam Italæ Muſæ, quæ dulciſſimo concentu tam cari capitis deſiderium ſignificarunt. Alphonſum Hieronymum Salam nemo, niſi excellens orator, laudare pro dignitate poſſit; ejus autem ſermonis character eſt præſertim urbanitas, ingeniumque minime inficetum. Eodem fere tempore, quo Heroas illos admirata Hiſpania eſt, alios quoque haud obſcuri nominis Poëtas ex ſe genitos, feliciterque educatos vidit, nec ſine ingenti gratulatione; quales fuere

Jo-

Johannes Perez de Montalban, Ludovicus Velles de Guevara, Emmanuel Salinas. Porro his merito adjungendus eſt Franciſcus de Quevedo, cujus nomine nullum fortaſſe dulcius, jucundiuſque Muſis fuit. Quantus ille fuerit ſatis teſtantur quæ plurima ſunt relicta poſteris excellentis ingenii monumenta, ſcilicet Sanctorum geſta, Chriſtianæ politices dogmata, inſignium Ducum victoriæ, quas tam commode, concinne, eleganter, copioſeque ſcripſit, ut in ejus libris commendatione dignius neſcias quid. Neque omittendus eſt Petrus Calderonius de la Barca: certe inter primi ſubſelii Poëtas clariſſimum hunc virum adnumerandum nemo unus, qui ejus libros legerit, inficiabitur, præſertim ſi acta, quæ vulgo ſacramentalia vocantur, diligenter examinet; in quibus neque in inveniendo acumen, nec in diſponendo ratio, neque in ornando aut venuſtas, aut nitor, aut majeſtas deſiderantur. Alios adhuc, & prope innumeros produxit Hiſpania ſuperiori ſe-

culo Poëtas; neque Auctores pœnitendi ſunt Antonius de Solis, Laurentius Gratianus, Agnes de Sancta Cruce, Americana illa quidem, ſed Hiſpanis prorſus imbuta moribus, atque inſtitutis, eodemque ſermone uſa; quæ quum a teneris uſque annis inter ſacras Virgines Deo ſe unice devoverit, exemplo ſuo docuit cum eximia vitæ ſanctimonia omnigenam etiam eruditionem, poëticamque virtutem poſſe componi. Neque infimus inter comœdiarum Scriptores locus debetur Antonio de Solis, cujus opera nec toties excuſſa typis fuiſſent, nec cupide adeo, ut ſit, legerentur, niſi eſſet in iis, quod admodum & prodeſſet, & delectaret. Laurentium vero Gratianum quis non item vehementer admiretur, qui quatuor anni temporum quaſi effigiem vivis adeo coloribus depinxit, ut ſpirare omnia videantur.

Nunc de Poëtis illis, qui nobiſcum ſimul, & inter nos vixere, pauca etiam dicenda ſunt; non

uni-

unicuique tamen tribuero laudem ſuam. Hæc eſt Principum in arte aliqua conditio, ut quæ unum exornant dotes ejuſdem artis peculiares, in ceteris etiam nequaquam deſiderentur. Satis igitur ſit recenſuiſſe Joſephum Negrete, Franciſcum Ruiz de Leon, Joſephum Vellaſquez, Ludovicum Loſſadam; in his autem omnibus collecta demiraberis ſumma illa decora, quibus immortalitatem nominis conſecuti ſunt Boccaccius, Petrarcha, Quarcilaſſus, Queredo. Injuſtus merito videar, ſi hujuſmodi Poëtarum catalago finem impoſiturus prætercam Auguſtinum de Monteano, virum profecto, quem ad omnia ſumma natum dicas; Auctor hic præclariſſimus luculentiſſimam in theatrum, & Hiſpanas tragœdias diſſertationem edidit, in qua ſi omnia expendantur circa rem poëticam, ſe magiſtratum exhibet. Accuratiſſimum hoc opus ſtatim ac Lutetiæ Pariſiorum agnitum fuit, tot Auctori ſuo comparavit laudatores, quot numerat alumnos ce-

lebris

lebris Academia, quæ vulgo *inſcriptionum, & humaniorum literarum* appellatur. Solam hujuſmodi diſſertationem ad probandam Hiſpanorum literaturam ſatis ſuperque eſſe Authores iſti dixerunt vel in ſuis, quas ſub memoriarum nomine in vulgus edere ſolent, orationibus; eaque os obſtrui obtrectatoribus noſtris plane arbitrantur, moti ſcilicet, ut ipſi ajunt, tum Hiſpaniæ, tum literarum, ſcientiarumque amore. Sed quum probe ſciam Monteanum noſtrum virum modeſtiſſimum facere digna laude, quam laudari malle, calamum cohibeo, & ad alios progredior.

Quod ſuperius promiſi, me ſcilicet ante hujuſce diſſertationis finem nonnullorum ex Hiſpanis viris daturum indicem, quibus rei antiquariæ amor, atque ornatioris eloquentiæ ſtudium immortalem peperere honorem, ac gloriam tum apud noſtros, tum apud exteros, illud dum cupio perſolvere, atque adimplere, ſorti meæ magnopere gratulor,

quod

quod plures numero, & dignitate ſatis conſpicui occurrant in Hiſpano ſolo progeniti homines, qui totis ingenii ſui, quo ſummo acerrimoque pollebant, & nunc etiam pollent, viribus laudatas excoluerunt diſciplinas. Commemorare procul dubio poſſem innumeros; veruntamen breviſſimi admodum temporis coactus anguſtiis nonnullos tantum citiſſime referam, quorum laudes, ac merita tot ſunt, ac tanta, ut pro millenis ſufficere mihi poſſe videantur. Hos inter celeberrimos doctrina viros eminuit ſuperiori ſeculo Nicolaus Antonius, cujus Hiſpana Bibliotheca, & eximia alia permulta, quæ typis mandavit, opera omnium ore, ac linguis commendantur; tum Laurentius Zamora, Johannes Mariana, Vincentius Marinerius, Johannes Andreas de Uſtarroz, Vincentius Johannes de Laſtanoſa, Vincentius Gonzalez de Avila, Ægidius Gonzalez de Avila. Noſtra vero hac ætate Emmanuel Martì, de cujus meritis loqui mihi eſſet nefas, quum de hac

re

re integrum ediderit librum celeberrimus Marchio Maffei; dein Aloyſius Joſephus de Villaſquez, Johannes Martinez de Sala-franca, Gregorius Mayanius, Blaſius Nazarre, Ignatius Luzan; quorum pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientum voces. Hos denique, ut eruditus habet vir:

Conſpicuos meritis, redimitos dotibus almis
Fama viros profert, gloria ubique refert.

Neque hoc loco prætereundum quantum noſtris hominibus ad recte ſcribendum, patriique ſermonis nitorem ſervandum profuerit Hiſpana Academia præſtanti ſane commentario de Ortographia, de quo præclare ſentit auctor diarii Pariſienſis rei literariæ apud exteros fortunam complectentis; cujus nonnullas hanc in rem ſententias operæ pretium erit in medium afferre: „ linguæ, inquit, vernaculæ literarum cultu perficiuntur, quarum progreſſus omnino ſequuntur. Hiſpanæ linguæ ſors eadem futura eſt, atque noſtræ, ſcilicet, qua ætate

am-

ampliſſimis præmiis, & hortamentis, Principiſque voluntate, ac munificentia liberales diſciplinæ omnes cum ſeveriore critices ſtudio, atque politiorum artium exquiſito guſtu conjunctæ progreſſus eos habuerint, quo jure expertes ab ingenioſiſſimis hominibus, & ad præſtantiſſima ſtudia natura ipſa comparatis, lingua maturitatem veluti ſuam, & abſolutionem adeptura eſt, illaque merito dicetur ætas literarum. Non minus jam Philippi V., Ferdinandique VI., quam Ludovici XIV. ſeculum celebrabitur, quodque Gallis decimumſeptimum fuit, Hiſpanis futurum eſt decimumoctavum. „

Atque ex his quidem verbis clariſſimi auctoris luculentum mihi videtur argumentum depromi poſſe, quo plane demonſtrem Hiſpaniam literis floruiſſe vel illis ipſis temporibus, quibus viſa eſt exteris imperitis omnino hac luce caruiſſe. Nimirum illud exploratum omnibus, perſpectumque eſt eandem ſemper obſervatam fuiſſe in linguis, atque in litera-

rum cultu progreſſionem, ac linguas, quæ copiam, varietatem, nitorem, elegantiam, urbanitatis floſculos, ac lepores habeant, quæ ſe facile ad omnem ſtyli rationem accommodent, non niſi apud eos populos vigere, qui literas colant, ut ex cultu ipſo literarum eas opes, & copias, ceteraque ornamenta mutuari omnino videantur. Quam vero XVII. ineunte ſeculo Gallorum linguam incultam adhuc, horridamque fuiſſe ipſi Galli ultro confitentur, procedente illa ætate, Ludovici XIV. munificentia, clariſſimorum virorum admirabili copia, & conſpiratione, incrementum, & abſolutionem uno velut impetu accepiſſe. Patrium autem ſermonem noſtrum prorſus conſtat cum Italicæ linguæ copia, majeſtate, nitore, vel ab illis temporibus, contendiſſe, quibus Italia præſtantiſſimis Scriptoribus maxime abundavit. Quod quidem quum ſine opera literatorum, ac vere ſapientium virorum fieri nequaquam potuerit, magno argumento, ut dixi,

exte-

exteris hominibus eſſe debet, nuſquam apud noſtros defuiſſe, qui bonarum artium ſtudia maximo cum fructu excolerent.

Ac recenſui quidem hactenus quambreviſſime complures ex noſtris Scriptoribus, qui ſapientiæ laude in primis excelluere, ſecutus aut ordinem temporum, aut genera Doctrinarum, ut oſtenderem omni ætate in Hiſpania aſſidua quidem, magnaque animorum contentione excultas fuiſſe ingenuas quaſque artes, ac diſciplinas. Neque ſum neſcius a me longe plures iis, qui enumerati ſunt, fuiſſe præteritos; quod hoc loco admonere abs re certe non erit, ne quis aut noſtrorum hominum queratur omiſſos forte aliquos eorum, quos ipſe valde probet, aut quiſquam exterorum putet id non conſulto potius a me factum eſſe, verum ea duntaxat de cauſſa, quod plures non ſuppeterent, quos nominarem. Ceterum haud ego arbitratus ſum ad conficiendum id, quod propoſitum erat,

inſtruendam eſſe quodammodo Scriptorum omnium Bibliothecam, ſed meam me abunde liberaturum fidem, ſi tantum ejus literaturæ, quæ in florentiſſimo Hiſpaniæ regno nullo non tempore viguiſſet, velut ſpecimen aliquod exhiberem; neque enim unus, aut alter modo excellens vir, eximiaque doctrina adprime inſtructus ſua quiſque ætate exiſtere potuiſſet, niſi apud ſuos in maximo pretio literæ fuiſſent, vehementique animorum ardore prorſus excultæ: neque ſi exiguus eſſet Scriptorum numerus, invicte inde concludi poſſet jacuiſſe omnino ſtudia literarum: potuit enim id contingere, quod non quicunque opera in vulgus edere, ſuumque nomen commendare poſteritati poſſet, eamque inde gloriolam ſibi quærendam exiſtimaret; quod quidem eſſet gravitati, non inertiæ tribuendum.

Nunc refellenda jam nobis eſt eorum calumnia, qui rerum noſtrarum rudes prorſus, & imperiti

riti non verentur plena religionis, & æquitatis inſtituta reprehendere, quaſi barbaries per ea in Hiſpaniam inducta eſſet, ac tuta undique permaneret. Neque vero graviſſimi hujus criminis aliud argumentum proferunt, niſi quod eis inſtitutis propter ſuperſtitioſam quamdam, ut ajunt, in majores reverentiam, non licet a receptis veterum opinionibus recedere, omniſque adeo aditus ingeniis præcluditur ad nova tentanda, quibus artes, ac diſciplinæ incrementum accipiant; impeditique adeo novitatis timore animi vires, ardoremque remittunt, ac velut lethargo correpti torpeſcunt. Atque hoc quidem non tam argumentum, quam deliramentum inaniſſimum eſſe conſtabit, ſi modo placet definire, quæ ratio libertatis ad bonarum artium, ac diſciplinarum progreſſum maxime requiratur, quæ contra officiat.

Equidem ubi de rebus agitur, quæ in utramque partem probabiliter diſputari poſſunt, quæ neque

ſan-

ſanctiſſimæ religionis decretis, neque morum præceptis, neque Reipublicæ conſtitutis juribus adverſantur, fateor par eſſe ingeniis expeditam facultatem relinquere nova moliendi, vetuſta inſtaurandi, aut in melius immutandi, inchoata perficiendi. At vero hanc facultatem nuſquam noſtris ademtam fuiſſe clariſſimi ſcriptores demonſtrant, qui maximo rei literariæ emolumento ea uſi ſunt. Hos inter Melchiorem Canum repetere juverit. Quam graviter iſte, quam moderate, quam vere Ariſtotelis ſummi ceteroquin Philoſophi in Theologicis diſputationibus dominatum, non noſtratium lege aliqua, ſed præjudicata omnium fere gentium ejus ætatis opinione confirmatum, excuſſit, ac depulit; ut proinde ille inter primos egregiis ſuis ſcriptis non Theologiæ tantum, verum & reliquis diſciplinis critices lumina, priſtinumque adeo nitorem reſtituiſſe viſus ſit. Impiam vero, audacemque licentiam ſacra omnia turbare, ſuſque, de-

que

que vertere molientem quis ſanus exiſtimet ad bonarum artium profectum aliquid momenti habere, non eamque potius velut perniciem, & exitium portendentem viribus omnibus comprimendam, arcendamque conſtituat. Omnem ad hanc effrenem licentiam aditum, religioſis ubique hanc in rem conſtitutis tribunalibus, præcluſum ſibi fuiſſe non minus gaudet, gratulaturque Italia, quam Hiſpania. Nec minus tamen Italia omnium fere nationum conſenſu bonis artibus mirifice ſemper floruit. Sed prorſus illud rem mihi conficere videtur, quod ſi apud nationes, quæ nullum tale ſibi jugum, ut vocant, impoſitum inaniter gloriantur, præclariſsima ſpectabimus ingenii, doctrinæque monumenta, quibus ſe plurimum in ſcientiis profeciſſe demonſtrarunt, nullum occurret, quod ex ea immoderata cogitandi, ſcribendique licentia profectum videri queat.

Præ-

Præſtantiſſimi apud Gallos Poëtæ habentur, omniumque linguis celebrantur Cornelii fratres, Racinii Bœlœus, quibus pares, Gallis prudentiſſimis fatentibus, nondum ſequens ætas extulit. Illi tamen cum facultate poëtica non religionem modo, verum etiam modeſtiam, ac verecundiam egregie conciliarunt. Nil præſtantius Boſſuetti ſermone de Hiſtoria univerſa, ut Polemica contra Heterodoxos ejus opera prætercam, nil ejus viri orationibus eloquentius; nec tamen ad hæc immortalia opera juvari ſane opus habuit illa licentia, quam recentiores nonnulli tantopere adamare, tantoque in pretio habere videntur. Neque ex illa vires ſumpſit Bordaluvii eloquentia, aut Flechierii, aut Maſſillonii, qui præſtantiſſimi ejus gentis Oratores habentur. Actis porro Pariſienſis Academiæ, ut & aliarum ejuſdem generis, & inſtituti continentur quæcunque ad naturalium diſciplinarum progreſſiones proxime ſuperioribus temporibus a maximis

inge-

ingeniis inventa, aut expolita fuere; nil eorum tamen reperies, quod non perinde apud noſtros ſcribere, ac proferre licuiſſet. Contra, ſi oculos convertimus ad innumerabiles illos, uberrimoſque fœtus, qui ex impia illa ſcribendi licentia prodierunt, quid tandem ex his bonæ frugis ad literarum proventum colligi poterit? Quid, quæſo, profuerunt Perſicæ literæ, Judaicæ, Cabaliſticæ, aliique hujus furfuris exitioſiſſimi libelli? Irrident recentiores haud pauci patrum ſuorum inſcitiam, quibus vehementer placebant Amadiſius Gallus, Orlandus, Cyrus Magnus, aliaque pretii ejuſdem volumina; nec advertunt pejore ſe in errore verſari, qui magnopere amant, laudantque futiles commentationes religioni, ac moribus adverſas, ægrorum ſomnia, & portenta delirantium. Neque hæc ſolum nil conferunt ad literarum cultum, verum plurimum obſiſtunt, non ſecus atque luxuriantibus noxiis herbis præfocari optima ſemina inter-

M dum,

dum ; campoſque ipſos vitiari cernimus. Et ſane ut natura rebus ipſis creandis, atque fingendis, quibus hæc pulcherrima Univerſitas effloreſcit, conſtantiſſimas quaſdam leges ſequitur, ita etiam induſtria humana ſuis perficiendis operibus certis quibuſdam regulis adſtricta ſit oportet, quibus & numerum, & pondus, & menſuram tribuat rei cuique aptam, & congruentem; itaque nil unquam perfectum, numeriſque omnibus abſolutum ab homine proficiſceretur, cujus ingenium conſtanti cuidam cogitationum ordini obnoxium, adſuetumque non plane fuerit. Hujus autem conſtantiæ veſtigia omnia pervertit effrenis illa, quam nonnulli inducere vellent, cogitandi, ſcribendique licentia. Quocirca multas, immortaleſque gratias Hiſpani debemus ſupremo Quæſitorum fidei Concilio, qui admirabili providentia teterrimam peſtem illam dudum a cervicibus noſtris depulerunt. Quorum curæ omnes, & conſilia eo evigilant, ut ab Hiſpa-

niæ

niæ finibus arceantur, nec unquam ſuccreſcant; quæ avitam gentis noſtræ plenam dignitatis conſtantiam, gravitatem, atque in ſanctiſſima religione caſte, fideliterque retinenda pietatem, & fidem contaminare poſſunt. Nobis vero hoc tempore potiori jure lætandum eſt, graviſſimo huic muneri virum ampliſſimum præeſſe non tam dignitate, quam virtutum omnium ſplendore ſpectatiſſimum. Ille ſcilicet, quum Philippum Parmæ, ac Placentiæ Ducem ad bellum Italicum, conſcientiæ ejus moderator, comitatus eſſet, quas Urbes, & Provincias Hiſpani *armis* late *obtinuerunt*, virtutum ſuarum admiratione complevit; quarum adhuc memoriam ſuaviſſima repetunt commemoratione, quod ego ſæpe numero non ſine maxima voluptate abs regionum illarum hominibus teſtatum audivi. Non ego tantum mihi tribuo, ut ampliſſimi Præſulis promerita vel commemorando percenſere valeam, nedum ornare dicendo. Tantum hoc re-

cenſendum duco, quod plurimum facit ad bonarum artium, ac diſciplinarum decus, & ornamentum, eoque nomine ad præſens meum inſtitutum pertinet, ejus præſertim opera, quem Rex Auguſtiſſimus adſciſcere ſibi voluit earum rerum acerrimum, æquiſſimumque æſtimatorem, illud apud nos perfectum eſſe, quo nil ad Principis viri laudem magnificentius dici poteſt, deque Innocentio XII. Pontifice Maximo Gravina prædicavit, ut meritis ſors honorum accederet.

Nunc vero ſi quis exquirat, quid cauſſæ ſit cur in tanta bonorum auctorum copia, qualem paullo ante deſcripſimus, Hiſpaniæ res literaria minus, quam reliquarum gentium, proximis ſuperioribus ætatibus populari gloria floruerit, multas ejus rei cauſſas afferre poſſum. Primum Hiſpani ſcribendis libris ſolidæ gloriæ, utilitatiſve publicæ fructum plerumque ſequuntur, non inanis exiſtimationis auram, non lucrum ex foliorum mercimonio. Itaque non

infi-

infiniti libri apud nos eduntur, ex eorum præſertim genere, qui de rebus graviſſimis compendiarias inſtitutiones pollicentur, quas legere ad fallendum otium vel mulierculæ ipſæ valeant; adeo nihil in ipſis eſt, quod ſtudium, contentionem, defatigationem animi requirat. His tamen libellis evolvendis multi ſibi beatiſſimi videntur, quod, licet nullam vere ſciendi, ſaltem uberrimam loquendi facultatem acquirant, viros clariſſimos nominent, eos inter ſe conferant, quanti quiſque ſit quaſi libratis ponderibus æſtiment. Nemo porro ignorat ejuſmodi libellorum copiam, qui propter intelligendi facilitatem, & adſcititios quoſdam lepores, ac veneres dicendi omnium manibus teruntur, plurimum conferre ad vulgarem famam literarum genti alicui conciliandam. Ejuſmodi porro commendatione ad gloriam tandiu carere ſe ſe Hiſpani æquo animo patientur, quandiu librorum auctores eſſe volent, non editores; nec eos invadet infeſtum illud ſcri-

 bendi

bendi cacoëthes, quod ſemper viſum eſt optimo ſtatui literarum perniciem, exitiumque portendere. Deinde plurimum ſane conferunt ad celebritatem diaria tantopere hiſce temporibus & propagata, & repetita. Hiſce vero Hiſpani hactenus caruerunt. Neque admodum pro ſua gravitate, & conſtantia curarunt libros ſuos ad exterorum diariorum Auctores deferri, quo ab his & operis publicam commemorationem, & emendicatas laudes impetrarent. Illi autem diariorum Scriptores non alios fere ſolent libros percenſere, quam qui ad hos mittuntur ab Auctoribus. Iniquum enim propemodum foret ab illis expectare, ut ſuis ſumtibus eam librorum copiam ſibi pararent, quorum notitiam ſuis diariis inſerunt. Hanc prope cauſſam pridem jam notavit Polyhiſtor Morhoſius tom. lib. 14. c. 9. §. 18., cujus pauca hæc verba ſubjiciemus: „ cetera Hiſpani nec pauci, nec juſta, aut exquiſita eruditione deſtituti ſcribuntur: verum raro admodum ad nos iſti libri perveniunt. „

Tertia ſupereſt cauſsa, cur minus apud nos etiam celebrata fuerint hoc ineunte ſeculo ſtudia literarum. Certe ut literis, atque literatis hominibus nil optabilius eſſe poteſt florentiſſimæ pacis otio honeſtiſſimo, ita bellorum ſævitia nil inimicum magis, nihil infenſius; hoſtibus enim regionem invadentibus, agros depopulantibus, civitates vaſtantibus, difficile admodum eſt eam retinere quietem animi, & conſtantiam colendis cum fructu literis adeo neceſſariam. Inter hos armorum ſtrepitus, in magna rerum omnium turbatione permultos annos Hiſpania hoc ineunte ſeculo verſata eſt nullam non experta belli calamitatem, quo quidem tempore Hiſpanorum magis virtutis fuit rebus fortiter, ac præclare geſtis ſuppeditare aliis conſcribendæ hiſtoriæ materiam, quam ad colendas mitiores literas patriæ deeſſe. Et quidem non ſine Dei optimi maximi beneficentiſsimo conſilio putandum eſt eveniſſe, ut quæ cauſſa erat belli ju-

ſtiſsi-

ſtiſsima, & cum Hiſpanorum felicitate conjunctiſſima, qua Philippus Borbonius Regnum ſibi & ſanguinis juribus, & Regis Denati voluntate, & populorum votis delatum neceſſariis armis vindicabat, tandiu inter varios fortunæ caſus incerta, & dubia fluctuaverit, ut nimirum optatiſsimam Philippi victoriam, pacatiſsimos triumphos, paternumque imperium tanquam diuturnæ, ac ſtabilis felicitatis pignora, ſupremi Numinis benignitate, ſibi tributa populi agnoſcerent, gratoque animo proſequerentur. Quod vero pulchre animadvertit Gallus ſcriptor clariſſimus, collatis inter ſe Augusti, & Ludovici Magni ſeculis, cauſſam utrique ſeculo communem fuiſſe, cur ad ſummum perfectionis apicem bonæ artes, ac diſciplinæ proveherentur, quod ſcilicet poſt longos bellorum tumultus Principes illi, pacatis rebus, animos diſcordiis civilibus vehementius concitatos, & audentiores effectos toto impetu ad bonarum ar-

tium

tium, & diſciplinarum ſtudia traduxerint, illud etiam Philippo V. regnante Hiſpaniæ obtigiſſe jure nobis eſt gratulandum, cujus optima inſtituta cum Ferdinandi VI. admirabili ſapientia, & providentia non ſolum retineantur, augeanturque, ſed novis etiam, atque perfectioribus cumulentur, merito ſane Philippi V., & Ferdinandi ſeculum Auguſti, & Ludovici ætatibus exterorum confeſsione, & plauſu adnumeratur, totaque poſteritate ad literarum decus, & gloriam celebrabitur.

Celeberrimos demum invitus cogor ſilentio prætermittere Hiſpanos Scriptores, qui ætatem recentem hanc noſtram, non ſine magna nominis ſui commendatione, illuſtrare adhuc pergunt. Non alia de cauſsa id fateor eveniſse, niſi quia anguſtiis temporis preſsus alibi vocor; veruntamen ne tantis Viris vel levis afferatur injuria, tum

ut

ut Hiſpanicæ Telluris decus magis magiſque innoteſcat, illorumque præjudicia diſpellantur, qui nimis veritati contrariam ſententiam ſuam protulere, hoc idem novas reſumens vires quamcitius executurum confido.



Imprimatur. Vicarius Generalis S. Officii.

V. Franzini A.A. L.L. Præſes.

Se ne permette la Stampa,

DI PRALORMO per la GRAN CANCELLERIA.

BIBLIOTECA DE JUAN
30
N.º PTAS.

LS.H
P 199d
299136
Author Panzano, Martín
Title De Hispanorum literatura.

University of T
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card
Under Pat. "Ref. Inde
Made by LIBRARY